DOCTRINA PROPOSITIONUM,

Disputationibus XII. comprehensa:

IN QUIBUS

De omnibus Controversiis, quæ à Peripateticis partim inter se, partim cum Ramæis agitantur, ex optimis quibusque Aristotelis Interpretibus differitur, veritas stabilitur, & contrariæ opiniones refutantur.

AUTORE

M. DANIELE STAHLIO,

Inclytæ Academiæ Jenensis

Professore publico.

LONDINI,

Officina Rogeri Danielis,

ad ædem hederaceam in *Aula Lovelliana*

prope Cœmiterium D. *Pauli*,

MDCLI.

VIRIS CLARISSIMIS
ET
EXCELLENTISSIMIS,

D. Balthasari Mentzero, SS. Theologiæ Doctori. D. Gregorio Horstio, Medicinæ Professori publ. D. Valentino Purgoldo, JCto. &c.

CUM aliquando Philippus Alexandri Magni parens in Corinthum expeditionem moliri diceretur, Corinthii rerum suarum satagentes ad apparatus bellicos incumbere universi cœperunt. Hi in conficiendis gladiis, hastis, clypeis, loricis, tormentis aliisque hujus generis armaturis occupabantur. Illi milites conquisitos instruebant, alii muros in sublime ducebant, vallos constipabant, propugnacula firmabant, & denique nihil intermittebant, quod ad reipub. defensionem utile videbatur. Horum studium cernens Diogenes Cynicus dolium suum per plateas hinc inde subvolvebat, quòd commodius nihil habebat, quod ageret, & admiranti interrogantique cuidam amico, cur hoc faceret, ideo scio, respondit, ne unus inter tot operi intentissimos cessator esse deprehendar. Non admodum dissimile quid mihi contigit. Cùm enim viderem verrimam atque indefessam esse universorum ceterrimæ hujus Academiæ incolarum operam atque studium, nullúmque Academicorum exercitiorum genus, sicut in aliis facultatibus, ita

& in Philosophica non florere, omnésque humanæ sapientiæ partes cùm publicè, tum privatim certatim & doceri & discì, existimavi haud convenire mihi inter tot occupatissimos esse otioso. Statui igitur Collegium Philosophicum intra domesticos parietes instituere, quòd commodius nihil tractare posse videbar, cupiens ulteriori Sophiæ cultu animum excolere; & feci, scitu & indultu venerandi Philosophorum Ordinis. Tantum autem abfuit, ut tenuitas mea ab instituto hocce me deterruerit, ut potiùs ejusdem perficiendi stimulos addiderit, quandoquidem usus & exercitatio, quod dicebat olim Cynicus, sicut in externis & manuariis, ita & in animi actionibus celeritatem & facilitatem pariunt, & ut est in proverbio, ἐν τῷ λέγειν τὸ λέγειν πείσεται. Cæterùm examini eorum, qui sua nomina Collegio meo dederunt, Logicam primò subjeci, observans ordinis, quem ipsarum scientiarum natura & intellectûs nostri conditio requirit. Perductis disputationibus Logicis semestri superioris aestivo ad finem (quo fructu aut profectu nescio, si aliquo, gaudeo si nullo, βρόχον tamen non curro, sed λόγον, qui dictitat salutarium studiorum etiam citra effectum laudandam esse intentionem) hyemali huic adjunxi quoque Naturalem & Moralem Philosophiam, cámque examinandam Collegis meis proposui. Accidit quòd, ut à quibusdam rogarer, ut aliquem in Philosophia tractatum ad manus sumerem, eumque se arte & Marte meo explicarem, sc ope á me adjuturos, & ut typis imprimatur curatu

Mihi sanè, cui non ignotum, pruritum illum & cacoethen scribendi plus nocuisse, quàm profuisse regno literario, scribendi edendique aliquid in mentem nondum venerat. Quid igitur facerem? Num honestæ ipsorum petitioni locum denegarem? At non hujusmodi repulsam diligentia ipsorum, quam opponendo & respondendo ostenderant, meruerat, quâque mihi quoque alacritatem incusserant. Feci igitur, quod facere me voluerant, & doctrinam de propositionibus, quæ ut studio est dignissima & magnum μέρος ἐμβάλλει ad finem artis Logicæ, ita plerunque hodie à Philosophiæ Studiosis parùm curatur, explicare, controversias, quæ à Peripateticis partim inter se, partim cum Ramæis agitantur, ex optimis Aristotelis Interpretibus enodare volui, veritate stabilitâ, & contrà sentientium opinionibus, eâque rationibus, quantùm per tenuitatem mentis fieri potuit, profligatis. Ubi non diffiteor nonnulla reperiri, quæ prolixiorem tractationem requirant, quæ me pro conditione Respondentium intra pagellarum terminis claudere oportuit, ne lectorem ipsos magnis onerare sumptibus. Hoc, quodcunque est, jam prodit foràs & audet se credere luci publicæ. Subsultas, Mome? Ringeris, invide? Habetis uterque quod mente & dente vestro laceretis? At ego flocci pendo vos, quanquanti etiam estis, quamvis tanti esse haud possitis. Etenim

Livor iners vitium mores non exit in altos,
Utque latens imâ vipera serpit humo.

Et ἡ διαβολὴ, Xenophon. teste, χρόνῳ ἀστηνεστέρα γίνεται.

Sed quid ego hæc a nec quidquã ingratare volvo,

Quidve moror?

Nomini vestro, Viri, Magnifice, Reverendi, Clarissimi, Excellentissimi, Juvenes, Nobilissime, virtute atque eruditione Ornatissimi, *Vestro, inquam, Nomini primum huncce ingenii mei fœtum oblatum & dedicatum volo. Suadet hoc, Viri, benevolentia illa atque favor, queîs humaniores literas omnésque earum cultores complectimini, queîsque me etiam studiáque mea juvare vos & promovere velle indubitatis persuasum argumentis habeo, & potestis. Suadet hoc, Juvenes politissimi, vestra etiam benevolentia, suadet mutua nostra amicitia, quam partim absentiâ interruptam in integrum restituere, partim jam florentem fovere atque confirmare annitor. Accipite, quæso, vile & exile hoc munusculum mente non aversâ, & non tam ad πλῆθος τῶν διδομένων, quod monet in Ethicis Philosophus, quàm ad ἕξιν τοῦ διδόντος respicite. Accipite, & Patroni, Fautores & Amici mihi esse ne desinite. Ego vicissim observantiam meam atque omnia officia atque studia vobis polliceor & offero. Valete.*

V. Observantiss. & Officiosiss.

M. Daniel Stahlin

Doctrinæ Propositionum,

DISPUTATIO I.

De Nomine.

Thesis I.

DE Propositionibus actur duos Aristotelis libros περὶ ἑρμηνείας, seu de interpretatione, h. e. enunciatione inscriptos, imprimis respiciemus & sequemur; quorum librorum non solùm *Andronicus* autorem *Aristotelem* negavit, quem refutatum videris *à Coll. Con. in proœm. h. l.* Sed etiam *Ramus l. 5. Schol. Dial. c.* 1. audet dicere, ipsos à quodam organi logici studioso ex Analyticis, Topicis, & Elenchis esse extractos, iisque Logicum carere posse.

2. Sed cùm hi libri ad secundam mentis humanæ operationem pertineant, eámque suis præceptis dirigant & informent, sine quo Logica perfecta esse non potest, quis huic Rami pronunciato punctum ferat, ac asserat, illos esse inter Dialecticos tractatus supervacaneos?

3. Ratio Rami est, quia hi libri contineant ferè eadem, quæ Analytici, Topici, Elenchi, & citent sæpe eos. Quasi verò unus idémque scriptor libros priùs à se editos in posteriùs scriptis citare non possit. Fecit hoc Aristoteles, tum hic, tum in Ethicis, Physicis & alibi. Quasi etiam una res in diversis scientiis aut diversis partibus unius scientiæ sub diverso modo considerari non possit.

4. In libris de Interp. agit Dialecticus de propositione eiúsque partibus & affectionibus per se, absolutè, & quatenus intellectus nostri σύνθεσιν & διαίρεσιν juvant. In Analyticis, Topicis & Sophisticis, quatenus promovent διάνοιαν & sunt materia syllogismi, tum in genere considerati, tum ad certam materiam applicati & determinati. *Vide Scaynum l. de interpr. pag* 183. *& Tolet. in proleg. ejusd. lib pag.* 202.

Quod si in hisce etiam quædam occurrunt, quæ ad propositiones per se consideratas spectare videntur, hoc non fit κατὰ τὸ πρᾶγμα, sed obiter & ὡς ἐν παρέδῳ.

5. Inscribuntur autem hi libri περὶ ἑρμηνείας ideò sic, quia enunciatione, cujus doctrinam explicant, animi nostri sensa & cogitata aliis explicamus & interpretamur. ἑρμηνεύειν enim est interpretari & enunciare. Hinc ἑρμηνεία dicta est quasi τλῶ τῆς ψυχῆς γνῶσιν ἑρμηνεύουσα, à fine externo, per quem quid intelligamus vide apud *Tolet. de Dial. in comm. c. 2. q. 4. p. 13.*

6. ἑρμηνείαν Zab. 2. *de nat. Log. c. 5. cum Boët.* tam simplicibus vocibus in prima mentis actione, quàm complexis in secunda attribuit, ita ut subjectum hujus libri sit tàm notio sive vox simplex quàm enunciatio, *Vide Zab. l. 2. cit. c. 3.*

7. Nos verò cum Thoma *lect. 1. hor. com.* & aliis per illud vocabulum solam enunciationem hîc intelligimus, eámque objectum horum librorum statuimus. Ille enim proprie interpretari dicitur, qui veritatem vel falsitatem in aliquo contentam explicat.

8. Quod si Zab. generaliter interpretationem accipiat cúmque Boët. velit definire, vocem significativam per se articulatam, interiores passiones manifestantem, & ipsam horum librorum subjectum facere, prout facit *loc. citato*, non solùm notiones simplices & enunciatio, sed & syllogismus illorum subjectum erunt, id quod nec Zab. nec alius quisquam unquam affirmârit. An non enim syllogismus, quando ore profertur, manifestat & interpretatur internum animi discursum?

9. Objectum igitur librorum περὶ ἑρμηνείας formale est enunciatio seu propositio, materiale & formale simul Ens, quatenus ipsi applicandæ sunt notiones secundæ, quæ compositionem & divisionem intellectûs dirigunt.

10. Patet hinc errare Ramæos, qui subjectum judicii axiomatici constituunt argumenta, quatenus

nus secundùm veritatem vel falsitatem disponenda. Quod enim in aliqua scientia non per se consideratur, sed refertur ad aliud tanquam pars, neutiquam subjecti loco habetur. *Zab. l. 1. de nat. Log. c. 15. & l. de tribus præcog. c. 2.* At argumenta in judicio axiomatico Ramæorum, non per se considerantur (sic enim ad Inventionem pertinent) sed ratione axiomatis, cujus partes sunt, & vocantur antecedens & consequens.

11. Cæterùm antequam Aristot. ad propositionum enodationem accedit, præmittit quædam de Nomine & Verbo, quæ quo modo sese habeant in respectu partium Logices, & qua ratione tractentur controversia est non levis.

12. Tolet. & Coll. Conimb. *in proœm. lib. Periher.* & Scayn. *ejusd. l. c. 2.* sententia est, Prædicabilia & Categorias, cum sint termini rerum incomplexi, ad primam mentis operationem pertinere, Nomen v. & Verbum ad secundam & esse partes enunciationis.

13. Secunda sententia est Zabar. 2. *de nat. Log. c. 3.* quem sequitur Reg. *l. 2. disp. log. probl. 1.* doctrinam nominis & verbi esse absolutam & sine respectu ad enunciationem & spectare simplicium terminorum apprehensionem.

14. In prima sententia I. illud falsum, prædicabilium & categoriarum tractationem esse directricem mentis operationis primæ. Ut n. aliquid dicatur intellectûs humani actus in cognoscendis rebus dirigere, requiritur ut sit notio secunda. At tractatus de prædicamentis est de rebus ipsis seu notionibus primis, & per consequens essentialiter ad Logicam pertinere non potest, aut primum mentis nostræ actum informare. Quod si prædicamenta per se non pertinent ad Logicam, nec prædicabilia pertinebunt, utpote quæ propter prædicamentorum pleniorem cognitionem à Porphyr. scripta, sicut vel prima verba ejus libri ostendunt. *Vide Zab. & Reg. l. cit. rectè hæc & fusè contra dictam opinionem disputantes.*

15. Verum est II. Nomen & Verbum respicere propositionem, sicut paulo pòst dicetur. III. iterum

falsum Nomen & Verbum respicere ipsam tanquam partes totum. Sit argumentum: Partes propositionis sunt subjectum & prædicatum, id quod nemo unquam Logicorum, quos sol aspexit, negavit. Nomen & Verbum non sunt subjectum & prædicatum. E. Nomen & Verbum non sunt partes propositionis. Assumpt. probatur, quia multis modis differunt. 1. Subjectum & prædicatum sunt relata, Nomen & Verbum sunt absolata. *Zabar. c. 3. cit. l. 2. de nat. log.* Subjectum n. & prædicatum per se mutuò definiuntur, quod in nomine & verbo non apparet. 2. Subjectum & prædicatum sunt quid communius, quàm Nomen & Verbum. Subjectum enim & prædicatum tam in mentali quàm orali propositione reperiuntur. Ex Nomine a. & Verbo sola verbalis propositio componitur. *Ant. Ruv. c. 2. l. 1. Perihermen. q. 1. 3.* Nomen & Verbum sunt singulæ voces: Illorum n. partes per se non significant, ut, homo currit, homo, nomen & currit, verbum, sunt singulæ voces. At subjectum & prædicatum sæpe ex pluribus vocibus constant, & sunt integræ orationes, *Fonsec. Inst. Dial. l. 1. c. 18.* ut homo est animal rationale, animal rationale, prædicatum est integra oratio.

16. Sed nec Zabar. sententia rationi consentanea est. Ubi enim non consideratur unius de altero prædicatio, ibi nec verbum locum habet. Præcipuam enim & ultimâ differentiâ Verbi, per quam constituitur in ratione formali, constituit Arist. in eo, quòd sit nota eorum, quæ prædicantur, quòd significet compositionem extremorum, quam sine extremis non sit intelligere, quod Verbum non exercet nisi in propositione, licèt semper aptum sit exercere, ut recte explicat Ruv. 1. *de Interp. c. 3. q. 2. Vide etiam Coll. Conimb. 1. de interp. c. 4 q. 2. art. 4 f. 2.* Atqui in primam mentis operatione non est unius de altero prædicatio, aliàs non esset simplex apprehensio. E. Verbum non pertinet ad primam mentis operationem.

17. Instat Zab. non posse aliud cogitari vel inveniri quod primam mentis operationem informet. Igitur Nominis & Verbi hoc esse officium. Nemo enim

enim dixerit ſecundum & tertium mentis actum opus habere aliquo dirigente, primum verò eo carere poſſe, cùm intellectus ſecundùm ſe totum variis ſit expoſitus erroribus. *Tolet. de Dialect. in comm. c. 2. q. 1.*

18. R. falſum eſſe antecedens. Aſſerimus enim dari plurimas notiones ſecundas ſimplices (ut cauſam & cauſatum, ſubjectum & adjunctum, connexa antecedentia & conſequentia, diſſentanea, comparata, conjugata, etymologiam, totum & partes, genus & ſpeciem, definitionem, & denique teſtimonium) quæ ſine reſpectu ad propoſitionem conſideratæ intellectum res ἄνευ συμπλοκῆς concipientem ſufficienter juvant.

19. Adſtruo firmâ hoc ratiocinatione: Illi termini, ex quibus omnes propoſitiones tanquam ex materia conſtant, ſunt primæ mentis noſtræ operationis, quando ſcilicet per ſe conſiderantur & abſtrahuntur à compoſitione & diviſione. *Vide ipſum Zabar. cit. hanc majorem omnino ſtabilientem.* Quemadmodum enim propoſitiones ſunt materia ſyllogiſmorum, ita illi conceptus, qui ſimplicium apprehenſionem dirigunt, ſunt materia propoſitionum. Atqui omnes propoſitiones conſtant ex notionibus jam recenſitis. Nulla enim datur, quæ non vel ex cauſa & effectu, vel ſubjecto & accidente, vel genere & ſpecie &c. conſtituatur. Ergò ſi prædicti termini per ſe conſiderentur & abſtrahantur ab eſſe ſubjectum & prædicatum, ſunt primæ animi noſtri operationis. At poſſunt & debent per ſe & abſolutè conſiderari. Quæ enim partes extra totum ſunt aliquid & abſolutam habent naturam, requirunt etiam tractationem abſolutam præcedentem tractationem totius. Sic elementa quatenus ſunt corpora completa, mundum integrantia, conſiderantur per ſe in lib. de cœl. quatenus verò ſunt principia miſtorum in lib. de ort. & inter. cum reſpectu ad miſta. *Vide Zabar. de ſcient. natur. conſtitut. c. 21.* At prædicti conceptus ſimplices habent entitatem abſolutam & ſine reſpectu ad propoſitionem. Quoties enim intellectus concipit aliquod ens ſub ratione

generis,

generis vel speciei, causæ vel effectûs &c. nec componendo, nec dividendo. *Tolet. in procem. Porphyr. de univers. q 2. & testatur hoc Arist. 1. de interp. c. 1.*

20. Hactenus discussio positarum opinionum, veram sententiam duabus conclusionibus determinabimus. *Prima*: Non necesse est omnia, quæ aliquo modo considerantur in aliqua scientia per se & directè contineri sub objecto ejus. Nam multa considerantur per accidens, obiter & per quandam analogiam seu reductionem, vel ut eorum cognitione objectum magis illustretur, vel, quia, cognito objecto, per analogiam ad illud illa cognoscuntur. F. *Suarez disp. 1. s. 1. § 5. & 6. & Zab. de Ment. Agent. c. 12.* Sic ens rationis à Philos. *6. Metaph.* à tractatione Metaphysica per se excluſum est, quia non continetur directè sub subjecto ejus, nihilominus tamen *l. 4. c. 1. & 2. & l. 7. c. ult.* quædam de ipso dicit, quia ipsius cognitio Metaphys. valdè est necessaria. *Suarez disp. 54. vide Ruvium in tract. de nat. ent. rat. num. 11.*

21. *Secunda*. Tali etiam modo agi in initio libri de interp. de nomine & verbo statuimus, h. e. non per se, directè & essentialiter, sed per accidens. Neque enim ut partes vel ullâ aliâ ratione nomen & verbum per se ad propositionem referuntur. Voluit tamen Arist. agere de illis, propter insignem usum, quem habent in disputando & interpretando animi nostri sensa, ubi quoniam res nobiscum non ferimus, utimur vocibus loco rerum, sicut ludentes utuntur calculis pro pecuniis, sicut dicit Arist. 1. *Elench. c. 1.* Ab hac sententia non videtur abhorrere Philos. Witteb. Jacob. Martini in ἐξετάσει 4. *de enunc.* Et elici potest non obscurè ex Ruvio 1 de interp *c. 2 q. 1.*

22. Quòd verò sit differentia inter considerationem de nomine & verbo logicam, non opus est pluribus dicere, cùm sufficienter hoc videri possit apud Zab. 1. *de nat. Log. c. 10.* Regium *probl. cit.* Tolet. *de interp. c. 2.*

23. *Nomen* porrò definit Aristoteles, quòd sit *vox significativa ex instituto, sine tempore, cujus nulla pars significat separatim, finita, quæque adjuncto est efficiorationem*

orationem verum vel falsum significantem: Ὀνομά ἐστι φωνὴ σημαντικὴ κατὰ συνθήκην, ἄνευ χρόνου, ἧς μηδὲν μέρος ἐστὶ σημαντικὸν κεχωρισμένον. I. de Herm. c. 2.

24. Dicitur primò vox, quæ capite præcedenti ab Aristotele definitur σύμβολον τῶν ἐν τῇ ψυχῇ παθημάτων, nota conceptuum in mente, & per hanc excluduntur voces nihil significantes, ut blictri, & quæ à pueris temerè proferuntur.

25. Secundò dicitur *significativa ex instituto*, ut removeantur voces, quæ naturaliter, atque ubique locorum atque gentium idem significant, ut, gemitus dolorem, suspirium tristitiam cordis naturaliter significat.

26. Tertiò *sine tempore* ad excludendum verbum, quod consignificat tempus, ut disput. seq. dicetur. Aliud a. est significare tempus, aliud consignificare tempus, seu significare cum tempore. Illa significant tempus, seu significare cum tempore. Illa significant tempus, quæ pro significatu suo principali tempus denotant, ut annus, mensis, dies, hora: & hæc sunt Nomina. Illa a. quæ cum tempore significant, principaliter quidem aliud significant; sed tamen non simpliciter, sed determinant illud & restringunt ad certam differentiam temporis, & hoc non faciunt Nomina, ut curro significat cursum, prout in tempore præsenti fit; cucurri eundem, prout jam factus est.

27. Quartò *cujus nulla pars significat separatim* ad differentiam Nominis & orationis. Orationis enim partes significant aliquid per se, ut homo vivit, Nominis v. partes, quatenus sunt partes, nihil significant, ut in *Homo*, nec *ho* nec *mo* significat. In compositis inquit Arist. partes volunt aliquid quidem significare, sed nihil significant, ut in vocabulo ἱπποκένλαυρος (quod significat λῃστρικὸν πλοῖον navium prædatorium) nihil illud κένλαυρος significat per se.

28. Quintò *finita* ad sequestranda infinita Nomina. Nomen enim Nomen propriè aliquid determinatum significat, sed Nomen infinitum nihil significat determinatè, quia inest in quovis tamen ente, quàm nomen

ente,

ente, *Aristoteles c. cit.* ut, homo determinatè significat naturam humanam, non homo a. neque equum, neque asinum, neque lapidem, neque aliud quicquam determinatè significat; sed indefinitè & indeterminatè omne id, à quo abnegatur nomen hominis, sive ens sit, sive non ens. *Titel. l.* 3. *consid. Dial. c.* 1.

29. Sextò. *Quæque adjuncto ex effatu orationem verum vel falsum significantem.* Hæc verba Fons. *l.* 1. *Instit. Log. cap.* 12. & Coll. Con. rectè addunt præcedentibus ad complendam omnino hanc definitionem, & continentur in textu Aristotelis, licèt sejuncta à prioribus, & rejiciuntur hisce verbis è definitione Nominis non solùm Nomina obliqua seu casus Nominum, ut Platonis, Platoni (adjunge enim nomini obliquo verbum est, fuit, vel erit, & nondum habebis, in quo verum vel falsum insit, ut Platonis est) sed etiam reliqua omnia syncategoremata, ut conjunctiones, præpositiones, imò etiam, ut quidam volunt, adjectiva adjectivè accepta. Quæ omnia, quæ jam dicta sunt, in subsequentib quæstionibus plenius intelligentur.

30. In dubium primò venit, in quo constituta sit formalis ratio Vocis. *Vox ex* 2. *de anima t.* 90. definitur *sonus animantium alicujus rei significativus propter imaginationem præcedentem.* Ubi adverte discrimen inter sonum, vocem & sermonem. Sonus etiam corporibus inanimatis convenit. Vox solis animalibus, eùm non fiat nisi instrumentis, quæ animalium propria sunt. Sermo solis hominibus, quia hi tantùm ratione pollent, & sensa mentis cum aliis communicant, quod sermone fit. Est enim *sermo* nihil aliud, quàm *vox articulata, significativa ex instituto rationis.* Scal. definit *dispositionem vocum articulatarum ad interpretandum animum l.* 1. *de causis lat. ling. c* 4 Quæ definitio complexis tantùm hominum vocibus, non etiam simplicibus competere videtur.

31. Porrò in unaquaque voce tria spectantur. 1. Ipse sonus simpliciter hisce quinque instrumentis, pulmone, thoracis & intercostalibus musculis, asperâ arter. laryngе & gurgulione effectus. 2. *Articulatio*

jus soni, quæ perficitur linguâ, palato, dentibus & labris. De quibus vocis instrumentis & generatione vide *Coll. Conim. 2. de anim. & Clariß. Dn. Greg. Horſt. Nobil. exer. de Corp. hum. 10. q. 9. 3. ſignificatio.* Omnem enim vocem t. all. σημαντικὸν λόγον Philoſ. appellat.

32. Albert M. *tr. 1. prad. c. 2.* ſtatuit ſonum materiam vocis, articulationem ſeu configurationem, formam, ſignificationem, actum ſecundum, id eſt, perfectionem conſequentem, ſicut motus animalis ſequitur ipſum animal, non tamen eſt ipſius forma, & ab hoc etiam ſtat Zab *l. 1. de meth. c. 2.*

33. Sed hæc ſententia in eo, quod dicit, articulationem eſſe formam, ſignificationem verò actum ſecundum vocis, peccare videtur, id quod ſic deducitur. I. Poſterius non eſt de conceptu definitivo prioris. Prius enim poteſt abſtrahi à poſteriori, quia non dependet ab eo. At unde aliquid non dependet in eſſe, ab eo nec in cognoſci dependet, ſic homo definitur ſine mentione riſibilitatis, animal ſine motu animali. Sed ſignificatio eſt de conceptu definitivo vocis, ſive enim vocis definitionem *in 2 de anima. cit. ſive 1. perihermen. c. 1. ab Ariſtot.* datam aſpicias, ſemper principaliter definitur per ſignificare. Ergo ſignificatio non eſt perfectio conſequens vocem. 2. Poſitâ formâ ponitur ipſa res. Sed datâ articulatione ſoni non ſtatim eſt vox, ut blictri, ſcyndapſus, articulati ſoni quidem ſunt & tamen non voces, quia nihil ſignificant. Igitur articulatio non eſt forma vocis. Poſitâ verò è contrario ſignificatione vocis primò vox ponitur, & ſublatâ eâdem tollitur, ut patet. Ergò ſignificatio eſt ratio formalis vocis.

34. Poterit tamen prior ſententia aliquo modo & ſecundùm quid tolerari, dicendo I. Quamvis articulatio reſpectu ſignificationis ſimpliciter ſit materia, tamen reſpectu ſoni habet rationem formæ, utpote quem determinat & variè fingit. Non ſecus atque in corpore animato forma miſti reſpectu animæ materiæ locum tenet, reſpectu autem corporis miſti, formæ, de quo vide Zab. *de gen. & inter. c. 4.*

II. Gram-

II. Grammatico vocis formale est articulatio, Physico & Logico significatio.

35. Sed objicis. 1. Vox distribuitur in significativam & non significativam. Ergo significatio non est de essentia vocis. Species enim non est de essentia generis. Respondent Magistri Burs. Mont. Definitio vocis data est maximè de voce significativa quia vox analogicè dicitur de significativa, & non significativa, sed definitio cõmunis analogi quoad omnes ejus particulas convenit principaliori analogato, & quoad aliquas solùm minùs principali, *in qu. l. 1. de ἑρμ. fol.* 105. Et analogum seu (ut cum Arist. loquar) id, quod dicitur ab uno ad unum, non significat naturam aliquam diversam ab analegatis, sed promiscuè significat omnia analogata, unum tamen eorum principaliter, alia verò, prout sunt aliquo modo affecta ad illud, & habent ordinem seu proportionem quandam ad ipsum. *Per. l. 2. de Phil. Nat. c. 2.*

36. Objicis secundò. Vox distribuitur in articulatam & inarticulatam. Ergo non omnis est articulata. Posset primò responderi per concessionem, quatenus & hæc distributio non univocè sed analogicè datur, sicut responsum est in thes. immed. posita. Sed respondetur etiam secundò, voces bestiarum esse articulatas, si vocabulum articulationis latè accipias & impropriè pro variatione & determinatione soni, habent enim bruta animantia instrumenta ad hanc determinationem superiùs requisita, si tamen stricta hujus vocabuli significatio attendatur, solus homo habet vocem articulatam.

37. Quæritur secundò, utrùm vox in definitione nominis posita, sit verum genus? Thomas, Ammonius & Neoterici ferè omnes *c. de nomine* sentiunt, vocem ibi non includere significationem, sed tantùm articulationem soni ab homine profecti, & ita nomen definiri per illam, tanquam per materiam seu subjectum, quia Nomen sit quid artificiale; artificialia v. sint definienda per subjectum loco generis ex 8. *Metaph. tex. 6.* ut, domus definitur, quòd sit lapides & ligna, hoc vel illo modo disposita.

38. Pro

38. Pro quæſtionis hujus determinatione præſupponendum eſt, quòd vox, per quam nomen definiatur, accipiatur pro voce non quavis, ſed pro ſignificativa ita, ut per eam removeatur è definitione nominis non quilibet ſonus, ſicut plerique Interpp. exiſtimant, ſed vox non ſignificativa. Quæ enim detur ratio, cur Ariſt. cum *c. præced. t.* per vocem ſolam ſignificativam intellexerit, eámque definiverit, hîc ſtatim mentem mutet, & latiùs vocem extendat etiam ad non ſignificativas, præſertim cùm non niſi ſignificativa ſub conſiderationem Dialecticam cadat? Unde regula Scholaſticorum, Omnes paſſiones & habitudines in vocibus & ſcriptis ſunt ſumendæ ex conceptibus, quibus ſubordinantur, *Iod. Iſennac. in proœm. Log.*

39. Nec eſt, quòd hoc modo ταυτολογίαν inefinitione illa committi regeras. Illa enim particula *ſignificativa* non ad vocem referenda eſt, ſed ad illa verba *ex inſtituto*, quaſi dicat Ariſtoteles, nomen eſt quiddam ſignificativum, & quidem ſignificativum ex inſtituto.

40. Ex his ſic concludimus: Vox non tantùm concludit in ſe materiam Nominis, hoc eſt, ſonum, ſed & formam hoc eſt, ſignificationem & totam ſubſtantiam, confuſè tamen, hoc eſt, prout indifferenter ſe habet ad ſignificare naturaliter & ex συνθήκῃ. Ergò non eſt materia, ſed genus vocis. Conſequentia confirmatur ex diſcrimine, quod eſt inter materiam & formam, & inter genus & differentiam. Materia vel forma non concludunt totam rei ſubſtantiam, ſed materia dicit unam partem, forma alteram partem. At genus & differentia unumquodque per ſe totam ſubſtantiam dicunt & claudunt. Verbi gratia: Animal totam ſubſtantiam hominis compoſitam ex materia & forma dicit, ſimiliter, rationale ſignificat totius hominis eſſentiam, ſed cum diſcrimine. Nam animal in homine dicit totam ſubſtantiam hominis ſecundùm quod in ea eſt aliquid, in quo homo aliis animalibus eſt ſimilis: At rationale dicit eandem hominis ſubſtantiam ſecundùm quod in ea eſt aliquid

in

in quo ab aliis animalibus separatur, *Tolet. l. Praedicab. c. 3. p. 64.*

41. Nobiscum sentiunt Niphus & Psellus, *c. 2. l. 1. de interpr.* qui tamen in hoc à nobis discrepant, quòd particulam in definitione nominis eam (*significativa*) ad vocem referant, non ad sequentia verba.

42. Nec placet Scaynus, scribens; vocem esse genus nominis, licèt ipsius significet materiam, cui postea accedat forma, nimirum significatio, ex arbitrio hominum pendens: Quando etiam animal sit materia hominis, si referatur ad formam hominis, & tamen animal sit genus hominis, *c. de verbo all. p. 196.* Non enim, quia genus materia appellatur, inter genus & materiam est identitas, sed hoc fit propter similitudinem tantùm, quæ consistit in hoc, quòd sicut materia contrahitur, & forma contrahit, ita genus per contrahentem differentiam limitatur, *Suarez. disp. Met. s. 6. 11. §. 3.* Quomodo enim genus & materia differant vide *thes.* 40. & *Tolet. cit. 4.* & *Suarez. disp. 15. s. 11. f. 353.* & 354.

43. Quod verò locum Aristotelis 8. *Metaph. t. 6.* attinet, nihil aliud ex eo concludi potest, quàm in artificialium definitionibus, denominativum formæ prædicari de materia, ut domus est lapides & lignas sic disposita. Quòd verò illa aliter etiam possint definiri, nemo negabit.

44. Ultimò hîc notandum est, vocem esse genus remotum nominis, quia non tantùm ad Nomen & Verbum vox se extendit, sed & ad vocem naturaliter significativam & ad orationem. Hæc verò verba: *Vox significativa ex instituto, finita, cujus nulli partium per se significat*, generis proximi locum tenent. Rectè enim definimus per genus remotum, quando addimus illi differentias, quæ sunt ab illo genere usque ad propinquum, ut si dicas: Homo est vivens, sensile, rationale, ut docet Aristoteles 6. *Top. c. 3. loc. 22.* Illa verò verba differentiæ loco ponuntur, *sine tempore, quæque adjuncto est efficit, orationem verum vel falsum significantem*, per hoc enim Nomen distinguitur à Verbo.

45. Quæritur

45. Quæritur tertiò : An voces significent φύσει vel θέσει, naturâ an ex institutione hominum ? Quæ quæstio non est de vocibus in genere, sed de iis, quæ manifestant conceptus de rebus ab anima formatos. Has ortum & significationem à natura habere negamus cum Arist. 1. *de interpr. c.* 2. Nullum nomen significat naturâ, sed cùm fit nota. *Item c.* 4. Oratio non significat ut instrumentum (scilicet naturale) sed ex instituto. *Vide Jul. Pacium in marg. h. l.*

46. Et probatur. 1. Naturalia apud omnes sunt eadem. Nomina apud omnes non sunt eadem. Ergo nomina non sunt naturalia, *ex Arist. 1. de interpr. c.* 1. Placet 2. discursus Ursin. *quæst. illust. disp.* 2. *Ζητημ. Metaph.* 1. Si nomina seu appellationes rerum à natura sunt, aut à natura sunt ipsarum rerum, quæ appellantur, aut à natura nostra ipsas res appellantium. Non illud : Res enim sic suum quæque nomen horsum simul atque nata est, secum afferret. Non hoc : Esset enim in mente quidpicta & scripta, quod reluctatur Philosopho 3. *de anim. c.* 4.

47. Cæterùm etsi nomina à natura non sunt, certè tamen ratione ab ipsa rerum natura & essentia petita rebus imponuntur. Hinc Scaligero deducitur *Nomen* à Verbo *nosco*, *q. novimen*, *instr. l.* 4. *de c. l. l.* Item παρὰ τὸ νοεῖν, quod iterum est ἀπὸ τῆ γῆ, *ex* 91. *f.* 1. tum quia rebus, cognitâ & intellectâ ipsarum naturâ, nomina dantur, tum quia vocabula sic imposita in ipsarum perceptionem nos deducunt. Magistris Burs. Mont. *in l.* 1. *de interpr. c.* 3. dicitur *Nomen*, quasi *notamen*, vel *nota mentis*.

48. Ubi observandum, quòd nomina sæpe significent aliquam rem, & imponantur ad significandum ab aliqua rei proprietate, quam non significant. Unde aliud est, quod significant, aliud à quo imponuntur ad significandum. Verbi gratiâ *Lapis* significat rem talem, ad quam significandam fuit impositum ab hac proprietate, quòd lædat pedem, non tale tamen nomen significat hanc proprietatem, sed rem illam, quæ substantia est. *Tolet. Prædicam. c.* 5. *de substant. q.* 1. ex *Thom.* 1. *p.* 3. *art.* 8. & *q.* 18. *art.* 2.

49. Qua-

49. Quapropter Philosophi considerantes unicam rem tot habere proprietates & operationes, variis nominibus eam significant: quorum singula talem rem significant, ut in ea peculiaris quædam operatio inveniturs v. g. quia homo per se stat, dictus est substantia, quia quantitatem habet, corpus, quia nutritur, vivens, quia sentit, animal, quia ratiocinatur, homo. Omnia a. hæc nomina in uno unicam tantùm naturam significant, sed non eadem ratione, sed secundùm diversas rationes in eo inventas: non quòd talia nomina operationes ipsas significent (significant enim rem ipsam, & ejus substantiam) sed sunt imposita ad significandam substantiam ex diversis operationibus & proprietatibus quæ in ea sunt, *Tolet. loc cit.*

50. Cave tamen, cum Goclen. *part.* 3. *Log. Probl.* 6. falsa nomina dicas ea quorũ ratio certa vel non est, vel reddi non potest. Cùm enim illa rebus sint imposita, ut ipsas significent, & usùs sint frequentissimi inter homines linguarum peritos, quis falsa illa appellet? Vera enim vox est, quæ imposita est à viris doctis, & est comprobata usu, ut autem impositio illa fit desumpta ab ipsâ rei essentia vel proprietate aliqua, multũ quidem facit ad vocem commendandam, sed est tamen extra essentiam ipsius. Impositio est quasi generatio vocabuli, usus accedit tanquam complementum.

51. Ex dictis verò spicuum est, quomodo Platonis & P. Nigidii *apud Gell. l. Noct. Attic.* sententia, naturalem nominum significationem statuens conciliari cum communi possit. Nomina enim naturalia sunt I. materialiter. Sonus enim, qui materia est vocis à natura provenit, articulatio verò & significatio ex arbitrio & voluntate humana dependent, *Zab. l.* 1. *de meth. c.* 2. II. Ratione etiam significationis fundamentaliter, non causaliter. Licèt enim significatio vocis non sit à natura tanquam à causa proxima, fundamentum tamen plerunque habet in ipsa rei natura, *thes.* 48. III. Per quandam analogiam in iis nominibus, quæ à perito impositore rebus imposita sunt, sicut ipsarum naturis conveniebat. Solemus enim artificialia, quæ maximè naturam imitantur, naturalia per exag-

exaggerationem vocare, *Tolet. 1. de interpr. c. 1. q. 1.*

52. Quæstio quarta, An Nominis partes per se significent? In nominibus simplicibus nulla est difficultas. Hæc enim, quia ex no minibus significativis (aliàs non essent simplicia) non componuntur, ideo non resolvuntur in nomina per se significantia. Quamvis enim in voce *Dominus*, *do* separatim quid significet, sicut & *minus*, tamen hæ partium significationes non faciunt ad significationẽ totius vocabuli, *Dominus*. Non enim satis est, ut aliqua particula nominis per se dicatur significare, si per se & separatim sumpta quoquo modo significet, sed requiritur ut significet ad significationẽ totius. At in compositis, quæ ex duobus vel pluribus nominibus, vel Nomine & Verbo diversimodè significantibus componuntur (non enim componitur nomen aliquod ex multis nominibus eandem rem significantibus, ut ex gladio & ense. *Ruv. c 2. 1. de interpr. q. 4.*) res non est ita facilis.

53. Fonsec. *l. 1. Instit. c. 13.* duo proponit ad hoc negotium documenta: Primum: *Ea pars vocis, quæ ut est in tota voce, peculiarem ingenerat in mente notionem, significat per se ejusmodi vocem.* Et sic nec *res*, nec *publica* in hac dictione *respublica* per se significat. Nam cum tota dictio auditur, in nullius mente duo gignuntur conceptus, quorum alter respondeat *rei*, alter *publicæ*. At verò, quia auditâ hac oratione, *Vir sapiens*, duo in nobis producuntur notiones, quæ duabus hisce partibus *Vir* & *sapiens* respondent: intelligimus easdem partes per se in ipsa vocis totius structura significare.

54. Secundum: *Ea pars totius vocis, cujus significationem qui tolleret efficeret, ne tota vox significaret id, quod antea significabat, significat per se in ipsa totius vocis compositione.*

55. Sed posterior hæc regula de omnibus vera haud videtur, id quod sic patebit: Omne compositum Nomen componitur ex simplicibus vel tantùm ratione materiæ, hoc est, soni & articulationis, ita ut significatio simplicium vel omnino non, vel saltem non proximè concurrat, ut, in *respublica* significationes

nes simplicium *rei* & *publicæ* non admodum attendun tur: vel ratione materiæ & formæ, hoc est, soni & significationis, ita, ut, quemadmodum Nomen compositum ratione articulationis constat ex simplicibus ratione articulationis, ita etiam ratione significationis componatur ex significationibus simplicium, ut in dictionibus, hæridipeta, hæresiarcha, agricola.

56. Ex hisce dico: Regulam datam veram esse de omnibus simplicibus vocibus, de compositis verò tantùm priori modo compositis. Quoniam enim in illis significatio partium non venit in compositionem totius, ideo eâ sublatâ compositum manet, ut in *respublica* tolle significationem *rei* & *publicæ*, non tamen inde efficies, ut integrum Nomen suo defraudetur significatu. Sed non valet de compositis posteriori modo. Sublatis enim partibus aufertur totum. Sed in voce, e. g. *agricola*, significationes partium sunt partes significationis totius vocabuli. Ergo sublatâ significatione *agri* & verbi *colo* tollitur significatio totius nominis *agricola*.

57. Quî autem fit, inquis, quòd in voce, *agrorum cultor* utraque pars peculiarem imprimit animo conceptum & ita per se significat, in hac verò, *agricola*, minimè, cùm tamen utraque vox ex iisdem simplicibus verbis constet? R. Prior vox est complexa, & non habet impositam sibi significationem distinctam à significationibus partium, sed tantùm significat ratione partium, ideóque partes significatus suos retinent actu: Posterior verò est incomplexa & habet significationem tertiam distinctam à significationibus partium, éque iisdem resultantem, ideóque partes non actu, sed potentiâ tantùm significant. Vide *Nicol. Amant. l. 1. de interpr. c. 3. dub. 2.*

58. Quemadmodum enim in composito naturali ex partibus materialibus tertia forma resultat diversa & indivisibilis; ita etiam Nomen compositum significationem habet aliam à significationibus partium. Et quemadmodum in composito naturali eodem formæ partium non actu sunt aut formæ locum tenent, sed potiùs materiæ *Zab. de gen. & Corr. c. 3. & 4.* ita etiam

etiam significationes partium compositæ dictionis potentiâ tantùm significant. Vide *Ant. Ruv. q. cit.*

59. Quæritur quintò: Quid sit nomen infinitum, & an verè sit nomen? Negatio dupliciter capitur, primò negativè, quod est sumi in tota vi negationis: quo pacto etiamsi in propositionis principio ponatur, copulam ejusdem & ipsam totam propositionem negat, ut, nulla planta est lapis, planta non est lapis. Secundò, ut tantùm significatum illius vocis negat, cui proximè apponitur, & sic accipitur iterum vel infinitè, quando scil. ita destruit significationem nominis, ut prorsus nihil ponat in re, ut, non homo, dicit puram negationem hominis, & affirmatur de omnibus, de quibus negatur homo, ut de arbore, equo, leone, imò etiam de non entibus, ut de Chimæra: vel privativè, quando ita destruit significationem nominis, ut tamen ponat aptitudinem ad illam in aliquo subjecto, & de nullo prædicetur, nisi cui talis aptitudo inest, & ita dicit Philosophus, quòd ex non homine generetur homo, ubi per vocē *non homo* non intelligitur quidvis extra hominem, non lapis, non leo &c. sed tantùm illud, in quo est potentia ad esse hominis, hoc est, semen humanum. Vide *Magist. Burs. Mont. in quæst. de interp. fol.* 107. *Tolet. c. 2. l. ejusd. q. 1. Zab. 1. de Mat. prim. c.* 7. De negatione infinitè accepta nobis jam est quæstio, & vocatur Arist. nomen infinitum, item ἀόριστον. Vide *Schegk. in comm. Peri herm. c.* 8.

60. Hoc quid sit jam patet, nim. *Nomen compositum ex Nomine finito & negatione infinitè sumta.* Ubi majoris lucis gratiâ addimus illud de materiali significare cætera omnia, extra rem, cui negatio apponitur, tam entia, quàm non entia, pro formali verò puram negationem ejus, ut, non homo significat pro materiali bovem, leonem, Chimæram, pro formali solam negationem hominis. Denotat enim hæc non secundùm naturas suas positivas, sed in quantum sub negationem hominis cadunt. Vide *Logicorum subtiliss. Ant. Ruv. 1. de interp. c. 2. q.* 5. & huc pertinet Scholasticorum Regula: *Terminus infinitus supponens supponit pro omni illo, pro quo terminus finitus non supponit:*

supponit: & non supponit pro illo, pro quo terminus finitus supponit, quam viae apud *Ni. Amant. c.* 3. *l.* 1. *de int.*

61. Hujusmodi Nomen infinitū licèt Arist. de definitione Nominis excluserit quia nihil determinatè significat, quod videris apud *Ruv loc. cit.* explicatum, reducitur tamē ad Nomen directè à *Fons. l.* 1. *inst. c.* 15

62. Nec est, quòd inferas, Nomen infinitum esse orationem, quia componatur ex vocula negativa & Nomine finito, ideoque non posse reduci ad Nomen. Nomen n. infinitum e. g. non avis, constat ex *non, quia* est syncategorema, & categoremate *avis*. Aut ut aliquid sit oratio requiritur ut constet ex duob. categorematis, nec sufficit categorema & syncategorema. *Nicol. Amant. l. cit.* Syncategorema enim non est alicujus rei significativum per se, sed junctum termino significativo & categorematico variat modum concipiendi. *Isennac. in Proœm. instit. Dial.* At omnis oratio debet constare ex pluribus vocibus peculiares conceptus in animo imprimentibus. *Arist. 1. de interp. c.* 4. *Fons. 1. Instit. c.* 3. Non igitur Nomen infinitum duos conceptus in animo nostro generat, & sic non est oratio. Vide etiam *Fonsec. 1. instit. c.* 30. Plura de Nomine infinito qui volet, consulet author. citat.

63. Restat quæstio sexta & ultima de nomine obliquo, quod Aristot. Nominis appellatione non dignatur. Nomini si adjungas Verbum *est*, vel *fuit*, vel *erit*, verum vel falsum semper pronunciabitur, *Arist. c.* 2. 1. *de interp.* Casibus a Nominis etsi adjectum sit Verbum *est*, ut Philonis est, attamen nondum efficitur enunciatio, nisi aliud tertium adjiciatur dicendo Philonis est liber, *Scayn. in c. l.* 1. *de interp. cit.*

64. De industria autem, *ut notat. Thom.* Arist. posuit Verbum substantivum *est*, quia Verba imperfonalia adjuncta Nominibus obliquis propositionem faciunt, ut, Petro placet. *Coll. Conimb. in explic. h. loc. Pacius in marg. ejusdem loc.*

65. Nec quidquam facit Scayn. scribens: In eo sermone, Petro placet, non propriè insinuari verum vel falsum, nisi aliquid suppleatur, quod Nominis recti vicem gerat: utpote dicendo aut subintelligen-

do

do: Petro placet liber, aut quid aliud hujusmodi. Licèt enim hoc concedi possit in exemplo posito, tamen in aliis fallit, in quibus ad tale supplimentum Nomen obliquum sufficit: ut Petrum pœnitet facti &c.

66. Cæterùm se non videre, cur casibus Nominis & Verbi appellationem Nominis & Verbi Logicus detrahere possit, Goclen. asserit *part. 3. probl. Log. 4.*

67. Primò sic argumentatur: Ut fas est inferre: Hæc linea est obliqua. Ergo est linea: Ita etiam licet concludere: Hoc Nomen est obliquum. Ergò est Nomen. Si enim adjunctum (non repugnans naturæ subjecti) attribuitur subjecto, profectò subjectum erit. R. 1. ut non licet inferre: hoc aurum est κίβδηλον & adulterinum. Ergo est aurum: Ita nec fas est concludere: Hoc nomen est obliquum. Ergò est Nomen. 2. Solutio est in ipsis Goclen. verbis: ut à positione adjuncti valeat consequentia ad positionem subjecti, necesse est, ut adjunctum non repugnet naturæ subjecti: Esse obliquum non repugnat naturæ lineæ, quia lineæ obliquæ competit definitio lineæ. At esse obliquum repugnat essentiæ Nominis; Nomini enim obliquo non competit definitio Nominis, ut patet ex thes. 64. Igitur ab eo, quòd linea est obliqua, valet quidem illatio, quòd sit linea, at ab eo, quòd Nomen est obliquum, non valet illatio, quòd sit Nomen.

68. Pergit Goclen. Casus Nominis & Verbi constituunt enunciationem. Ergò sunt Nomina & Verba. 1. Integra oratio, ut definitio, constituit propositionem. Igitur oratio est Nomen. Absurdum! Dicendo enim homo est animal rationale: *animal rationale* constituit hanc enunciationem tanquam prædicatum, & tamen est oratio, quæ certè non est Nomen. 2. Nomen obliquum addito quocunque Verbo, & substantivo *est*, non reddit orationem enunciativam, nisi addatur aliud insuper Nomen, ex thes. 64. Quod in specie Goclen. de Verbo obliquo objicit discutietur disput. sequenti.

69. Porrò autem, licèt Nomen obliquum non sit explicitèr Nomen, ad Nomen tamen illud reducimus cum Fonsec. qui tamen hac in re non satis sibi constat.

Hic enim *l. 1. inst. c. 15.* illud ad Nomen reducit, statim verò *eod. c. sicut & c. 9.* fecerat, inter syncategoremata recenset. Sanè quicquid peculiarem animo conceptum imprimit, & in propositione sæpe stat loco Nominis, non est syncategorema. Sed casus nominum peculiariter quid significant, & stant sæpe in enunciationibus loco nominis. Igitur non sunt syncategoremata. Prima pars minoris probatur, quia idem conceptus correspondet recto & obliquis, quantùm ad significationem principalē, ut, homo, hominis, homini, semper eandem substantiam significant, sed differentia est in hoc, quòd rectus habet significationem absq; modo: at obliqui habent aliquem modum significandi, quem vocant per modum, ut cujus, cui, quem &c. & hic modus significandi mutat veritatem propositionum. Aliud n. est dicere: Michael est Dei, & aliud, Michael est Deus, prior est vera, posterior falsa. *Tolet. 1. de interp. c. 2. q. 1.* Probatur secunda, quia in hac enunciatione, Petrum pœnitet, obliquus fungitur officio Nominis.

70. Reliqua quæ ad Nomen vel directè, vel indirectè referuntur, vide apud Fons. *cit. c. 15.* à quo tamen dissentimus ex parte; Verba infinitivi modi, ut, amare, & participia, ut, amans, non ad Verbum, sed ad Nomen referentes *cum Tiselman. l. 3: consid. Dial. c. 2. quem etiam atque etiam vide.* Atque hæc quidem de Nomine, sequitur Verbum.

His verò adjungimus Duo Corollaria.

I. Ut aliquid sit signum proprium, Duæ requiruntur conditiones. Prima est, ut faciat nos venire in cognitionem alicujus rei; quam dicitur significare. Secunda, ut à natura ipsa, vel hominum voluntate, ad talem rem significandam sit institutum. Defectu primæ conditionis voces nihil significantes non sunt signa. Ex defectu posterioris effectus v. g. risus non est signum proprium causæ v. g. hominis vel rationalitatis. Licèt enim causa per effectum cognoscatur, tamen effectus non est à natura institutus ad significandum talem causam. Vide Coll. Conimb. de interp. c. 1. q. 2. art. 1. Tolet. & Ruv. loc. eodem

q. 1

q. 1. Quando igitur Arist. 1. Poster. t. 55. demonstrationem ab effectu vocat syllogismum à signo, intelligit signum improprium, ad quod sufficit ut in alicujus rei cognitionem nos deducat, quamvis sit ad tale officium neque à natura, neque ab arbitrio humano institutum.

II. Conceptus mentis (qui sunt notæ rerum) apud omnes homines sunt iidem. Arist. 1. Peri herm. c. 1. quod verum est 1. de conceptib. iisdem specie, non numero, sicut dicitur eadem imago Cæsaris, quæ est Francofurti & quæ alibi, Tolet. 2. Verum est conceptum unum & eundem esse apud omnes, si scil. sit ejusdem rei sub eadem ratione formali conceptæ. Si verò hic rem aliter concipiat ac ille, diversus erit etiam hujus & illius conceptus. Quia sic ipsa res huic & illi non verè est eadem. Vide Ruv. q. cit. Literæ verò & voces non sunt apud omnes gentes eædem. Ratio est, quia conceptus rerum sunt signa naturalia, voces verò & scripturæ ex instituto. Vide Fonsec. l. cit. c. 10.

DISPUTATIO II.

De Verbo.

1. *VErbum est, quod adsignificat tempus, cujus nulla pars per se significat, & est semper nota eorum, quæ de altero dicuntur.* Ῥῆμα ἔστι, τὸ προσσημαῖνον χρόνον, οὗ μέρος οὐδὲν σημαίνει χωρὶς, καὶ ἔστιν ἀεὶ τῶν καθ' ἑτέρου λεγομένων σημεῖον. *Aristotel. 1. Perh c. 3.*

2. In qua definitione subintelligere oportet illas duas particulas, *Vox, significativa ex instituto*, ex definitione Nominis. Quia enim communes sunt Nomini & Verbo, & hoc erat satis manifestum, Aristoteles eas in hac definitione repetere supervacaneum duxit *Interp. communiter.*

3. Dicitur autem primò, quòd, *Verbum adsignificet tempus*, ubi aliud est significare tempus, aliud adsignificare tempus, repete ex *disputatione præcedente thes. 26.* & vide *hanc disp. thes. 25. & 26.* Quod secundò dicitur: *nullam Verbi partem per se significare*

etiam explicatum est *disp. præced. thes. 27. & quæst. 4.*

4. Tertiò dicitur, *Verbum semper esse notam eorum, quæ prædicantur*, hoc est, significare aliquid ut de altero prædicatur, seu significare conjunctionem prædicati cum subjecto, quam facit, ut rectè explicant *Tolet. & Ruv.* & est ad mentem *Aristotelis in textu dicentis*: Verbum significare σύνθεσίν τινα, quæ sine τοῖς συγκειμένοις non possit intelligi. Et per hoc participia non sunt Verba. Licèt enim hæc adsignificent tempus: tamen non valent conjungere prædicatum cum subjecto. Non enim efficies enunciatum dicendo: Socrates disputans, nisi copulam interjicias. Vide *Titelm. l. 3. Consid. Dialect. c. 2.*

5. Quartò excludit *Verba infinita* è definitione Verbi, quia non significant rem determinatam, sed tam de eo, quod non est, quàm quod est, prædicantur, ut: non currit.

6. Quintò debet *Verbum* esse *rectum*. Rectum autem est, quod est Indicativi modi temporis præsentis, sicut Nomen rectum est casûs Nominativi.

7. Possunt autem obliqua Verba distingui tripliciter, vel ex parte temporis tantùm, ut: Currebat, cucurrit, cucurrerat, curret, quæ sunt quidem modi Indicativi, & ob hoc quantùm ex parte illa non sunt obliqua, sed quia non sunt temporis præsentis, inde dicuntur obliqua Verba vel Casus Verborum; vel ex parte modi tantùm, curre, currat, currere, quæ sunt quidem temporis præsentis sed modi non indicativi atque ex hac parte sunt obliqua; vel ex parte temporis & modi simul, & hæc maximè obliqua sunt, ut, cucurrero, cucurrisse. *Titelm. loc. cit.*

8. Cæterùm, quæ obliqua sunt, vel ex parte modi tantùm, vel ex parte modi & temporis simul, Logico non curæ sunt, quia horum beneficio non potest prædicatum cum subjecto copulari, aut enunciatio constitui, dicendo enim: Petrus prædicaret, Petrum prædicare, Orationem verum vel falsum significantem nondum habes.

9. Quæ verò obliqua sunt ratione temporis tantùm, hoc est, quæ sunt quidem Indicativi modi, sed no

non temporis præsentis, valent enunciationem efficere, ut: Homo cucurrit. *Crell. l. 2. part. com. Isag. Log. c. 1.*

10. Cur igitur, objicis cum *Goclenio*, excludantur ex numero Verborum? Respondent Logici; quia tempus præteritum & futurum dependent a tempore præsenti, cujus vi, non propriâ virtute, verum vel falsum significant. E gr. vera est ista de præterito: Adam vixit in terris, quoniam aliquando hæc vera fuit: Adam vivit in terris. Falsa est: Messias nascetur in carne, quia nullum tempus futurum est, quo liceat dicere: Messias nascitur, jam enim olim natus ex virgine, non nascetur amplius. Vide *Titelm. l. 3. c. 5.*

11. Ex his dicimus, quòd, quando Arist. ponit verbum debere esse rectum, excluserit verba obliqua, quæ sunt talia ratione temporis tantùm. Quæ enim obliqua sunt ex parte modi tantùm, vel modi & temporis simul, rejecta sunt per particulam tertiam *thes. 4.* positam, quia non valent extrema conjungere.

12. Ex dictis perspicuum est, *Verbum* unumquodq; tria in se comprehendere 1. *Significat rem quandam.* 2. *Consignificat tempus.* 3. *Conjungit extrema.*

13. Primum non solùm ex eo patet, quòd Verbum dicitur vox significativa, sed etiam ex alio illo *Aristotelis* textu *cap. cit. præsenti*: Verba secundùm se sunt Nomina. In quo textu *Ammon. Thom. & Fons.* Nomen accipi autumant pro omni voce significante, & generaliter atque indifferenter se habente ad Nomen & Verbum. Sed melior est expositio *Mag. Bursæ Monii, Tolet. & Schegk in hunc locum*, qui Verbum dicunt esse Nomen strictè acceptum; non quòd Verbum planè sit idem cum Nomine per omnia: Sunt enim Nomen & Verbum species vocis contradistinctæ; sed in certo tertio & secundùm quid. Sicut enim 1. Nomen significat rem simpliciter, ita verbum significat rem pro significato principali. Etenim currit significat actum currendi, sicut & cursus. 2. Sicut in Nomine non est veritas vel falsitas, ita nec in Verbo, sed oportet Nomen & Verbum conjungantur.

14. Secundum explicabitur in sequentibus, *th.* 25. & 26. Tertium intelligendum est, quòd Verbum, ut sit copula, actu debeat conjungere extrema: quoniam esse Verbum non est habere aliquid in se per modum potentiæ, quo uti velit, cùm libuerit, ut: esse intellectivum aut appetitivum, sed esse actu Verbum est significare more Verbi, & pro eo significato sumi. *Coll. Conimb. 1. de interpr. c. 4. q. 2. art. 4. s. 2.* Verbum igitur extra Propositionem vel in Propositione subjecti loco positum non est verè Verbum, ut cùm dico: Credit, vel, qui credit, salvatur; credit non est Verbum, quia non significat conjunctionem subjecti cum prædicato.

15. Errat igitur 1. *Crellius*, quando scribit, Nomen & Verbum extra Propositionem propriè esse, subjectum verò & prædicatum in Propositione, *l. 2. Isag. part. comm. c. 2.* Errat 2. *Keckermannus* Verbum aptitudinem prædicandi, non actum significare scribens, *l. 2. Syst. Log. s. 1. c. 1.*

16. Ut autem hæc de Verbo doctrina plenius intelligatur, discendum est, quid differant Verbum, Prædicatum & Copula. *Prædicatum est illa res, quæ per Verbum principaliter significatur; Copula est id, quo prædicatum cum subjecto conjungitur: Verbum verò complectitur utrumque.*

17. Atque Verbum interdum est unica vox, & sic iterum vel substantivum *est*, in Propositionibus secundi adjecti, ut: homo est: ubi Verbum *est* respectu existentiæ vel essentiæ, quam principaliter significat, est prædicatum, respectu verò hoc, quòd copulat existentiam cum homine, est copula; vel adjectivum, ut; homo ridet, ubi *ridet* est Verbum; quatenus significat risum, est prædicatum; quatenus componit risum cum homine, est copula. Interdum sunt plura vocabula, ut: homo est animal, ubi solum *est* non est Verbum, ut multi Logici etiam λογικῶτατοι putant, sed copula: Sed illa duo vocabula *est animal* simul sumta sunt Verbum. Probatur: Omne Verbum significat aliquam rem. Vide *thes. 12.* & 13. In Propositionibus tertii adjecti τὸ *est* nihil signi-

significat, sed solùm copulat prædicatum cum subjecto, ut paulò pòst patebit. Ne autem in illis Propositionibus nullum sit Verbum (omnis enim ex Verbo aut casu Verbi constet enunciatio, necesse est. *Arist.* 1. *Peri herm.* c. 4) prædicatum cum Copula conjungendum est, quibus junctis definitio Verbi integra competit.

18. Dictorum veritas dependet ex determinatione illius quæstionis, utrùm in propositionibus, quæ sunt de tertio adjecto, vocula *est* præter id, quod copulat extrema, sit rei alicujus significativa? *Alexander, Thom. Coll. Conimbr.* 1. *de interpret.* c. 4. a. 4. *s.* 2. *Ruv. lib. eod.* c. 3. *q.* 2. *n.* 24. *Tolet. lib & c. eod.* sentiunt, Verbum *est* in dictis propositionibus significare essentiam & prædicare ipsam de subjecto non nudam, sed cum aliquo addito determinante, tum in propositionibus necessariis: bestia est animal, tum contingentibus: homo est doctus; ita ut sensus sit per resolutionem: bestia est ens quod est animal, homo est ens doctum; ubi per voculam *est* significatur ens, quod determinatur per animal & doctum.

19. Sed nos contrà: Si hæc sententia vera esset, daretur progressus in infinitum. Probatur: si *est*, exempli gratiâ, in posita jam propositione, Homo est doctus, significat ens, ita ut hæc propositio resoluta sit talis: Homo est ens doctum, quæro an etiam in hac *est* significet ens, si non significat, ergò est aliqua enunciatio, in qua τὸ *est* præter copulandi actum nihil significat, quod est contra ipsos: si significat, hæc propositio, homo est ens doctum, resolvetur in istam, homo est ens ens doctum & hæc iterum in aliam consequenter, id quod non solùm est ταυτολογώτατον, sed erit etiam in infinitum progressio, id quod est ἀτοπώτατον. Suppetunt plures rationes firmissimæ, sed, ut papyri ratio habeatur, in ipsum disputationis actum reservandæ.

20. *Alii* & inter hos *Regius lib.* 2. *disp. Logic. probl.* 3. dicunt τὸ *est* in enunciatione contingenti significare exsistentiam, cum vi copulandi, in necessaria verò solum copulam, non etiam exsistentiam: quæ sententia

præterquam quòd argumento contra 1. *th.* præcedente positam urgetur, refellitur ab ipsis *Conimbr. loco citato, quem vide.*

21. Tertia denique sententia, quam nos sequimur, tenet, τὸ *est* in omni propositione tertii adjecti (de hoc enim quæstio initio proposita est) nihil significare neque essentiam, neque existentiam, neque aliud quid, sed solùm sustinere officium copulandi (unde etiam copula appellatur) & tantùm esse συγκατάθεμα, id quod facilè patet ex refutatione priorum opinionum, & ita sentiunt inter alios, *Fonsec. lib. 1. Inst. Dialect. c. 14. Zabar. in Tabul. in librum de interp. in principio, & Schegkius in comment. Peri herm. c 2.*

22. Potrò quæritur: An omne verbum adsignificet tempus? *Thom. Albert. Boët. Ægid.* quibus subscribunt ex recentioribus *Coll. Conimbr. 1. de interpr. c.4. q.2. a.4. & Ruv. c.3. q.1.* omnia verba autumant significare pro significatione principali actionem vel passionem, & necessariò, quia aliàs non possint consignificare tempus, cùm actioni competat mensurari tempore: quod videntur sumere ex definitione 4. *Phys. 2.129.* tradita: tempus est mensura motûs secundùm prius & posterius.

23. Sed non placet hæc sententia 1. quia licèt Verba adjectiva, ut: ignis calefacit, aqua calefit, actionem vel passionem significent, tamen in Verbo substantivo *est*, tum quando est secundum adjacens, tum quando tertium, ut: Deus est, Deus est omnipotens, falsum apparet, *Tol. c.3. de Verbo.* Quod autem *Ruv.* regerit: *Est* non quidem significare actionem, sed tamen aliquid (essentiam vel existentiam) per modum actionis, non est intelligibile.

24. 2. Falsum est, Verbum non posse consignificare tempus, nisi significet actionem vel passionem. Quamvis enim tempus tantùm sit mensura motûs & rerum successivarum per se, per accidens tamen & per relationem ad motum, quietem etiam & esse rerum permanentium valet metiri. Vide *Suvel. disp.50. f.2 §.11. Perer.12. Phil. natur. c.4.* Et hoc ad consignificationem temporis in Verbo videtur sufficere

sufficere. Quid? quòd hîc tempus non capitur ita strictè i.e. Physicè, sed generaliter, prout sese extendit ad omnem mensuram durationis etiam instantaneam & æternam. *Mag. Bursæ Montis 1. Peri herm. c. 3. & ipsi Conimbr. loc. cit.*

25. His præmissis patet Verbum posse consignificare tempus, licèt non significet actionem. Difficultas tamen adhuc superest de Propositionibus necessariis, quæ abstrahuntur à qualibet differentia temporis, & quarum extrema non conjunguntur secundùm certam existentiam in tempore, sed per naturalem & necessariam connexionem, & ideo semper veræ sunt; ut: Homo est animal. Quomodo igitur in hisce propositionibus verum esse potest, verbum significare certam differentiam temporis, cùm propositiones hæ vere abstrahantur ab omni tempore, & sint extra omne tempus?

26. *Resp.* Essentiale Verbo est unire extrema & consignificare tempus, sed, ut uniat extrema secundùm tale tempus consignificatum, accidentarium ipsi est. In hac enunciatione: Homo est animal, Verbum *est* consignificat tempus præsens & unit animal cum homine, sed non unit secundùm tempus præsens, & ita propositio illa dicitur absolvi à tempore, quia omni tempore vera est. Causa est quia Verbum unit extrema secundùm naturam eorum. Natura autem & relatio extremorum interdum est accidentalis, & ideo conjungit Verbum illa secundùm certum tempus, in quo ambo existunt, nempe in propositionibus accidentalibus, ut: Paries est albus; interdum est essentialis & perpetua, ideóque conjungit illa non secundùm certum tempus (quia ille respectus omni tempore est, etiamsi extrema non existant) licèt ipsum significet tempus, nempe in propositionibus necessariis, ut: Rosa est planta. Vide *Ruv. quæst. cit.* & hujus rei iterum causa est, quia Verbum, quatenus copulat, habet se ut agens, termini, qui conjunguntur, habent se ut patiens. At actio perficitur non pro conditione agentis sed pro receptivitate patientis. Igitur Verbum copulat extrema non prout

ipsum vult, sed prout flagitat natura terminorum.

27. Quæritur ultimò: An verbum infinitum detur in propositione collocatum? Quemadmodum, ut *præcedente disp. thes. 60.* dictum, Nomen negatur, quando particulæ negativæ ipsi adpositæ vis & efficacia in ipsam etiam copulam fertur; infinitatur, quando solam negat significationem vocis, cui adjicitur, copulam non attingens; sic Verbum infinitum est, cujus solùm principale significatum negatur, negatum est, cujus vis copulandi etiam negatur. Illud (Verbum infinitum) quo nihil determinatè significat, sed de eo, quod est & non est prædicatur, ut: non certat, non currit, Verbi nomine ab Aristotele indignum judicatur.

28. Cæterùm *Albert. Magnus tract. de Nomine cap. 5. & tract. de Verbo c. 2. Alexand. Bolt. & Aquinas lib 2. de interpr. c. 2.* Verbum infinitum quidem extra propositionem dari, non autem in ea collocari, & quando in ea ponatur, fieri negatum adserunt. Extra propositionem, inquiunt, Verbum significat tantùm rem cum tempore, in propositione autem exercet etiam vim copulandi: ideóq; negatio addita Verbo extra propositionem tantùm negat ipsius principale significatum, cùm Copula, quam neget, non habeat, & ita redditur infinitum. In propositione autem, in qua jam Verbum est nota eorum quæ prædicantur, fieri non posse, quin actus copulandi quoque negetur, & ipsum Verbum sic fiat negatum, cùm particula negativa addita voci, illius omne neget.

29. Oppositum sentiunt *Ammon. Suessan. Sotus & Coll. Conimbr. quæst. citat. a. 4. s. 1. Tolet. c. de Verb. q. 1 & Ruv. c. eod. q. 3. & Mercat. lib. 1. Summul. c. 2.* rimirum in ipsa etiam enunciatione Verbum infinitum locum habere, ibique non Copulam, sed rem tantùm significatam negari. Et probatur: Quicquid prædicatur de aliquo in propositione sit necesse est; at Verbum infinitum prædicatur de aliquo, ergò locum habebit etiam in propositione. Minor patet ex *Arist. c. de Verbo*: non valet, non ægrotat, semper de aliquo dicuntur.

cuntur. Aliam rationem ad hanc sententiam comprobandam *Ruv. ex 1 post. c. 10. petit, quem vide.*

30. Ad oppositam sententiam respondeo 1. Extra propositionem non dari Verbum infinitum Logicum. Omne enim Verbum infinitum præsupponit finitum, cùm infinitum componatur ex finito additâ negatione. Sed extra propositionem non reperitur Verbum finitum, ergò nec infinitum. 2. Quando Verbum in propositione est infinitum, non est intelligendum quasi negatio etiam Copulæ sit addita, sed soli significationi ejus principali, & ita verum est, negationem negare omnia illius vocis cui additur: sed quoniam negatio verbo finito additur, non quatenus copulat extrema, sed quatenus aliquid significat, ideo significationem verbi tantùm non etiam copulam negat.

31. Et tantum etiam de Verbo. Quæ constant ex Nomine & Verbo, vel ex Nomine & Nomine, orationes vocantur & voces complexæ.

32. *Oratio est vox significativa, cujus partium aliqua per se significat, ut dictio, sed non ut affirmatio vel negatio.*

33. *Oratio* 1. dicitur *vox significativa* scilicet ex instituto, quæ non genus, sed materia ipsius est Sicut enim domus ex ligno, lapide, calce &c. conficitur, ita oratio ex vocibus hoc vel illo modo dispositis. Vide *Hospin. de contr. Dialect. c. 12. & 14.*

34. Dicitur 2. *Cujus partium aliqua per se significat. Aliqua*, non omnis. Syllabæ enim partes orationis sunt, nihil tamen significant, sicut ipse Aristoteles habet. Et per hæc verba distinguitur Oratio à Nomine & Verbo tam simplicib. quàm compositis, quæ (composita) in hoc capite vocantur δυπλὰ, hoc est, duplicia, quòd ex duabus vocibus constent.

35. Ratio autem, cur partes Nominis compositi per se nihil, partes autem vocis complexæ, seu Orationis per se aliquid significent, est, quia Nomini cōposito secundùm se totum imposita est significatio distincta à significatione partium, quæ ipsius forma est, secundùm quam significat, & quâ partium ipsius significa-

significationes tanquam potentiæ & materiæ informantur. At verò Orationi non est imposita secundùm se totam aliqua significatio, sed significat tantùm ratione partium, & ipsius essentia consistit tantùm in connexione & ordine ipsarum partium, sive hic (ordo) resultet ex modo significandi ipsorum extremorum immediatè, ut in hac oratione: Animal rationale, sive constituatur à Verbo vel Conjunctione interpositis, ut in his: Homo est animal, Si homo est animal, sentit. Vide *Nicol. Amant. lib. 1. de interp. c. 3. dub. 3. Coll. Conimbr. lib. ejusdem. 4. q. 3. a. 1. Tartar. l. 3 c. 3.* Vocabuli igitur hujus *Lucifuga* partes nil significant per se, quia sunt sub imperio significationis totius vocabuli, at vocis hujus complexæ *Lucem fugiens* partes per se sunt significativæ, quia ipsarum significationes sibi sunt relictæ liberæ & integræ: Item dicendo: Homo, bestia, non est oratio, quia abest ordo & dispositio.

36. Quomodo verò tandem partes Orationis per se significant? ut dictio, non ut affirmatio vel negatio, hoc est, partes Orationis sunt quidem simpliciter voces σημαντικαὶ, non tamen sunt enunciationes, ut: Homo est animal, *homo* significat tanquam vox, sicut & *animal*, neutrum verò adfirmat vel negat aliquid, nisi cum verbo aliquo disponatur.

37. Oratio porrò vel imperfecta, vel perfecta est. Imperfecta, quæ perfectum sensum non generat in animo audientis, quales sunt orationes sine verbo, ut: animal rationale, vel cum Verbo, in quibus est conjunctio suspendens, vel relativum cum unico Verbo & aliæ similes, ut: Si timueris Deum, qui timet Dominum.

38. Perfecta est, quæ integrum & perfectum sensum signat. Estque iterum vel enunciativa, vel non enunciativa. Non enunciativa vel vocativa est, ut: Heus bone Socrates; vel interrogativa, ut: Qui genus? unde domo? pacémne huc fertis, an arma? vel imperativa, ut: Maturate fugam, Regique hæc dicite vestro; vel precativa, ut: Musa mihi causas memora; vel optativa, ut: O mihi præteritos referat si Jupiter annos.

39. Vo-

39. Vocantur autem hæ orationes non enunciativæ, quia nec verum, nec falſum ſignificant. Sed cur 1. quia veritas eſt in intellectu, at hæ ſignificant ea, non quæ ſunt in intellectu, ſed quæ in appetitu ſeu voluntate. 2. quia non fiunt per indicativum modum, qui ſolus eſt μορικὸς verum vel falſum ſignificare, ut ſupra dictum. Vide *Tolet. in h. c. q. 1.*

40. Hanc ob cauſam *ab Ariſtot* Rhetoricæ & Poeticæ appellantur & è Logicæ conſideratione eximuntur. Poſſunt tamen facilè reduci ad enunciationes, ut hæc; Audi me D E V S, ad hanc, D E V S debet me audire. Hæc, Pette, abi in forum, ad hanc, Petrus debet abire in forum &c. De hactenus enumeratis orationis generibus, vide *Thom. 1. Periherm. lect. 7. Doctor. Burſ. Mont. Schegk. Tolet. 1. Peri her. c. 4. ent. Zabar. in Tab. Log. Armand. de Bell. Viſ. tract. 2. c. 298. Fonſec. l. 3. Inſtit. c. 2. Titelm. l. 3. c. 3. & 4. Regium diſp. Log. l. 2. Probl. 2. Arniſ. in Not. in Logic. Crell. l. 2. part. com. c. 2. lit. a.*

DISPUTATIO III.

De Propoſitione.

1. Jubet *Ariſtoteles 2. elench. 1. 1. Top. 13.* multis modis diſtinctionibus rerum ambiguarum præludere, viámque eſſentiali doctrinæ aperire. Obſervavit hoc *Ariſtot.* ipſe, *cùm 2. phyſ. t. 1. 2. 3. phyſ. c. 1. 6. metaph. per totum 9. metaph. t. 2. tum in 1. de interpret.* dum à diviſionibus quibuſdam auſpicatur, ut membra diviſionum ad rem nihil attinentia rejiciat. Definit enim *illius libri c. 4.* orationem. Mentionem facit orationis imperfectæ: non quòd illa ſint conſiderationis Logicæ (pertinent enim ad Rhetores & Poetas) ſed ut commodiùs & ſine falſa pervenire queat ad orationem enunciativam, quam eſſentialiter ibi & per ſe conſiderat. Vide *Arniſ. in not. in Logic. Crell. part. com. l. 2. c. 3. lit. A.*

2. Nos, cùm in præcedenti diſp. actum ſit de oratione in genere & oratione non enunciativa, jam pervenimus ad enunciativam, quæ vocatur paſſim *Ariſtoteli*, ἀπόφανσις enunciatio, λόγος ἀποφαντικὸς,

φατικὸς, communiter dicitur πρότασις propositio, multis etiam ἀξίωμα.

3. Quòd aliqui vocabulum enunciationis rejiciunt, quòd tantùm competat propositioni in voce, non in mente consideratæ, vanum est. Dictum enim est *disput.* 1. aliud esse id, quod per vocem significatur, aliud id, à quo significatio desumitur. Vox enunciationis omnem propositionem significat, sive in mente illa, sive in verbis sit, quod verò appelletur enunciatio, sumitur ab hoc, quòd verbis enunciari & proferi solet.

4. Ἀξιώματος appellationem Peripatetici ferè exsecrantur. Dicunt enim illam nimis angustam esse, cùm dicatur ἀπὸ τῆς ἀξίας, & competat tantùm propositioni necessariæ, hoc est, ejusmodi sententiæ, quæ, ut *Scaliger* 4. *Poet. c.* 6. loquitur, omnium consensu digna est, ut suapte naturâ fine ulla probatione vera credatur.

5. Sed appellatio hæc, sive impositionem ejus spectes, sive usum, non videtur rejicienda, sed optimè quadrare in enunciationem generaliter sumtam. Dicitur enim non ἀπὸ τῆς ἀξίας, sed à 1. pers. præt. pers. pass. verbi ἀξιῶμαι, id quod nôrunt Grammatici. At hoc idem esse, quod censere, intelligere, sentire quocunque modo, quid attinet multa exempla proferre, quæ apud Lexicographos passim obvia sunt. Usi hoc vocabulo sunt Stoici solenniter pro omni enunciato, in quo verum vel falsum est, sicut clarè patet ex *Cicerone in initio ferè lib* 1. *Tuscul. quæst. & in lib. de fato, Plutarcho in Plat. quæst. A. Gellio l.* 16. *Noct. Att. c.* 8. *Quid? quòd ipso Aphrodis. teste Aristoteles ipse* 8. *Top. c.* 2. πρὸς δὲ τοὺς δεικνύειν ἀξιοῦντας προτάσεις ἀξίωμα vocavit, & ἀξίωμα ἢ πρότασιν ἐν παραλλήλοις εἶπε.

6. Ramæis vocabulum propositionis in hoc negotio non placet propter ambiguitatem: Nam πρότασις sive propositio est prior pars comparationis. Quin etiam prior pars antecedentis in Syllogismo Latinis propositio dicitur, inquiunt *Downamus & Tempellus l.* 2. *in Dial. Ramic.* 2.

7. Sed Respondeo: Si omnia æquivoca ex scientiis ejicienda,

ejicienda, quid fiet Ramæorum axiomati, quod non esse univocum sat patet? 2. Homonyma si distinguantur & resolvantur in suos significatus, non amplius sunt homonyma, & optimè possunt usurpari in artibus.

8. Ipse etiam *Zabar.* 1. *post. t.* 13. nomen propositionis strictiùs omnino, quàm enunciationis esse vult, & conclusioni conveniens non esse, & qui conclusionem propositionem vocet, non rectè loqui: quia propositio dicatur tanquam proposita conclusioni. Sed verum hoc est vocabulo propositionis pressiùs accepto.

9. Sanè *Arist.* 1. *prior. c.* 1. definit *propositionem*, quòd sit *oratio affirmans vel negans aliquid de aliquo*, ubi propositionis vocem æquè latè patere ac enunciationis patet ex definitione, quæ æquipollet definitioni enunciationis ab *Aristot. l.* 1. περὶ ἑρμην. *traditæ*, & jam statim à nobis explicandæ. Et testantur hoc insuper *Conimb. in citat. loc. Aristot.* 1. *prior.* 1. Quæ cùm ita sint, usum vocis propositionis generalem & communem & nos hîc retinemus. De hisce & aliis Dogici hujus instrumenti appellationibus vide *Clariss. Dn. Finckium* 2. *part. Schedias.* 51. *Toletum* 1. *de interpretatione cap.* 4. *quæst.* 2. *Arnis. in not. in Log. Coel. l.* 2. *part. Com. c.* 2. *lit. β. & Regium l.* 2. *disp. Log. probl.* 2. Sequitur ipsa definitio.

10. Enunciatio est oratio, in qua verum vel falsum est. ἀποφαντικὸς λόγος ἐστιν, ἐν ᾧ τὸ ἀληθεύειν ἢ ψεύδεσθαι ὑπάρχει, 1. περὶ ἑρμην. *c.* 4.

11. Λόγος est ἐνδιάθετος, hoc est, internus, qui & ἐνθυμηματικὸς, mentalis appellatur, & Latinis propriè vertitur *ratio*: vel προφορικὸς, externus, *à Damasc.* τοῦ νοήματος ἄγγελος nunciu s mentis vocatus, & Latinis redditur *oratio*. Hic iterum, vel in voce est, quē *Aristoteles* τὸν μετὰ φωνῆς λόγον γιόμενον appellat *in prædic. c.* 6. vel in scriptura, ὁ ἐν γραφῇ. 1. περὶ ἑρμ. 1.

12. Eodem modo distinguunt orationem & propositionem in mentalem, vocalem & scriptam Scholastici: Vide *Bart. de. Using: tract:* 1. *Compend. Log. Lodoc. Isennac. in proœm. Epitom. Logic. Armand. de*

Bello

Bello Visu tract. 2. *c.* 59. Sed actioni mentis æquivocè & impropriè vocabulum orationis attribuitur. Latiùs enim patet Græcorum λόγος, quàm Latinorum oratio.

13. Et hæc tria non reipsâ, sed ratione tantùm differunt. Idem enim est sermo, & eadem oratio, quæ cogitatur, profertur & scribitur. *Regius l.* 2 *disp. Log. Probl.* 2. Et *Scalig.* orationem & scripturam à speciebus & conceptibus mentis non essentiâ, sed subjecto solo differre ait, *exer.* 2. Ratio est in propatulo. Illa, quæ sunt in mente, voce & scriptura significant unas easdémque res: Súntque signa rerum non tantùm significativa, sed etiam suppositiva: Et per consequens, quicquid in mente de re aliqua concipitur, illud etiam de ea verum est in voce & scriptura. Vide *Rav.* 1. περὶ ἑρμην. 1. *quæst. unicâ.* Et iterum per consequens Logico erunt unum idémque.

14. Jam si λόγος in proposita definitione indifferenter accipiatur & indeterminatè ad internum & externum λόγον, dubium non est, quin sit verum genus propositionis. Sed si textui *Aristot.* convenienter agere velimus, non possumus per λόγον intelligere nisi orationem seu λόγον προφορικὸν, sicut & ex textu patet & plerique interpretes statuunt.

15. Nos orationem etiam (vocalem) genus enunciationis statuimus cum *Toleto c. cit quæst.* 1. Licèt enim propositio absolutè sit in mente, & accidat ipsi, ut proferatur, tamen quando jam prolata est, necessariò est prolata, necessariò est in voce. Atqui *Aristot. in lib. de interpret.* egit de enunciationib. quatenus in voce & λόγῳ exteriori spectantur, 1. quia voces, quàm conceptus multò sunt patentiores & dilucidiores: 2. quia interna cogitatiõe nemo alterum docere potest, incognitáq; ex cognitis alii patefacere. quod tamen, quo pacto faciendum sit, Dialecticus tradere debet, *Fonseca* 1. *instit. c.* 7. Et certè non ἀλόγως hoc fecit *Arist.* quia quod dicitur de re aliqua in voce, illud etiam valet de ea in mentis conceptu: Vide *thes.* 13.

16. Quod verò idem *Fonseca* addit orationem externam esse communiorem & usurpatiorem internâ, falsum

falsum est. Nunquam enim cum aliis conferimus sine intrinseca præmeditatione: At quoties nobiscum in mente nostra aliquid speculamur taciti? Hinc *Scalig.* orationem manum rationis appellat, *exer.* 256. propterea quòd oratio, quæ in mente excogitata sunt, promit atq; aliis quasi propinat: At quid tibi manus mea porriget, quando quod det, non est?

17. Hæc de genere. Specificæ differentiæ loco stant illa verba, *in qua verum vel falsum est.*

18 Veritas est triplex, in essendo, cognoscendo & significando. Veritas in essendo, est communis passio omnis entis, quæ cum ipso convertitur, & ideo non huc, sed ad Metaphysicam pertinet. Veritas in cognoscendo partim est considerationis Physicæ. Quando enim Physicus considerat operationes intellectus, quatenus ab intellectu procedunt, considerat etiam veritatem vel falsitatem in illis inventam: partim Logicæ. Cùm enim Logicus instruat intellectum in cognoscendis rebus, instruat etiam ipsum oportet in dignoscendo verum à falso, quandoquidem rei cognitio nihil aliud est quàm veri à falso discretio. Vide *Zab.* 1. *de nat. Log. c.* 13. Veritas in significando etiam ad Logicam pertinet, ut ex ipsius definitione apparet. Vide *Suarez disp.* 8. *in proœm. Joan. Versor.* 2 *Metaph. quæst* 3. *Iavell.* 6. *Metaph. quæst.* 13. & *Egid. Roman.* 4. *Metaph. c.* 2. *quæst.* 4.

19. Porrò veritas in cognoscendo est adæquatio seu conformitas intellectionis cum re, falsitas discrepantia ejusdem à re. Veritas in significando est conformitas orationis vel scripturæ cum re, falsitas discrepantia ejusdem à re. Vide *Suarez disp. alleg. sect* 2. & *disp.* 9. *sect.* 1. *Armand. de Bell. Vis. tract.* 2. *c.* 24. *Scal. exer.* 307. *sect.* 9. Vera enim oratio nequaquam causa est, cur res sit, sed constat rem quodammodo causam esse, cur vera sit oratio. Nam quia res est vel non est, oratio dicitur vera vel falsa. *Arist. prædicam. cap.* 5. & 12.

20. Hinc dicunt veritatem esse in intellectu subjectivè, in actione intellectûs formaliter, in rebus tanquam in causa, in voce & in scriptura tanquam in signo

signo. *Magist. Burs. Montis in 1. Periherm. c. 4. Reg. disp. Log. l. 2. probl. 4.*

21. Cæterùm esse verum vel falsum non est differentia essentialis & specifica enunciationis, sed propria affectio, per quam illa definitur. Quicquid enim rei est essentiale, ipsi inest immediatè, & sine ulla causa. *Zab. 2. post. r. 6. pag. 1052. r. 78. p. 1208.* Sed veritas & falsitas insunt propositioni non immediatè, sed habent in ipsa suam causam. E. Patet assumptio. Cur enim enunciatio est vera? quia enunciat quod res est, hoc est, dicit esse quod est, aut non esse, quod non est. Cur falsa? quia non enunciat quod res est, hoc est, dicit esse, quod non est, & non esse, quod est.

22. Voluit autem *Aristot.* definire propositionem per verum & falsum tanquam accidentia ejus notiora, ex quibus innotesceret nobis essentia ejusdem. *Ruv. 1. de interp. c. 4. q. 3.* Essentiam autem enunciationis constitutam esse dicimus, in simplicium terminorum dispositione & conjunctione tali, quâ affirmatur aliquid vel negatur.

23. Obstrepit autem *Ramus l. 5. schol Dialect. c. 4.* malè enunciationem per verum vel falsum definiri, tanquam per proprium attributum, quia verum & falsum omnium & intellectuum & symbolorum & simplicium & compositorum commune sit.

24. Ast respondeo 1. Si veritas & falsitas non soli propositioni insunt, quomodo Ramus ipse axioma suum distribuere potest in verum & falsum, *l. 2 Dial. c. 5 §* Membra enim distributionis debent adæquare totum, cúmque eo reciprocari. *Arist. 2. post. text. 24. Fonseca lib. 4. inst. c 10. 2.* Distinguendum est inter veritatem in cognoscendo & significando simplicem & complexam. Simplex est, dum intellectus apprehendit rem, prout est in se simpliciter sine compositione vel divisione, ut dum concipit hominem tanquam animal rationale: complexa est, quando quæ natura in rebus conjunxit, ea & intellectus conjungit per artem, & quæ disjunxit, eadem & ille dividit, ut loquitur *Scalig. 7. de caus. ling. lat. c. 142.* Ut hæc

complexa

complexa veritas principaliter dicitur veritas, & hanc intellexit *Aristot.* in definitione enunciationis, & hæc non reperitur in intelligibilibus simplicibus. Vide *Suarez disput.* 8. *sect.* 3. §. 7. *Versor.* & *Armand. locis citat.* & *Coll. Con.* 1. *de interp.* 1. *q.* 5. *art.* 2. & 3.

25. Quando igitur *Aristot. prædicam. c.* 4. & 11. 1. *de interpr. c.* 1. & 3 *de anima t.* 21. in incomplexis negat verum vel falsum reperiri: intelligendum hoc est de veritate non omni, sed complexa. Nam in prima etiam mentis operatione aliquam esse veritatem, asserit ipse *Aristot. t.* 26. *l.* 3. *citat. de anima.*

26. Hæc de definitione *Aristot.* in qua ultimò & hoc obiter nota contra *Zab.* 1. *de propos. necess. c.* 6. ubi dicit verbum ὑπάρχειν, dum significat inesse, semper jungi Dativo sine præpositione, nunquam cum præpositione, & Græcos nunquam dicere, τῷ γελαστικῷ ὑπάρχει ἐν τῷ ἀνθρώπῳ: sed ὑπάρχει τῷ ἀνθρώπῳ. Contrarium apparet in data definitione enunciationis ab *Arist.* in qua ὑπάρχειν significat inesse secundùm omnes interpretes, & tamen jungitur cum dativo cum præpos. ἐν.

26. Rami definitio est: Axioma est dispositio argumenti cum argumento, qua esse aliquid, vel non esse judicatur.

27. Quæ definitio, si rem ipsam aspicias, est eadem tum ratione generis, tum ratione differentiæ cum illa *Aristot.* 1. *prior. c.* 1. *thes.* 9. *posita.* Ratione generis; quia suprà *disp. præced. thes.* 35. orationis essentiam in connexione simplicium terminorum ponebamus. At quid connexio simplicium aliud est, quàm secundùm Ramum loquendo, dispositio argumentorum? Ratione differentiæ, quia judicare aliquid esse, est affirmare, judicare aliquid non esse, est negare.

28. Dico, si rem ipsam aspicias. Nam voces minùs bonæ sunt. Etenim simplices notiones extra syllogismi structuram vocare argumenta novum est, durum & absurdum. Vide *Arnis. in not. in Log. Crell. l.* 3. *cap. com. c.* 1.

DISPU-

DISPUTATIO IV.

De Propositionis Affirmatione & Negatione itémque Simplicitate.

1. PROPOSITIO *vel est Affirmativa vel Negativa.*

2. Non facimus cum plerisque Logicorum, qui propositionem, non in genere, sed simplicem dividunt in affirmationem & negationem. Membra dividentia ipsum divisum debent adæquare. *Aristoteles 2 post. 24. Fons. l. 4. instit. Dial. c. 10. Zab. 1. de propos. Necess. c. 5.* Sed affirmatio & negatio patent etiam enunciationem simplicem, compositæ enim etiam competunt, ut: Si asinus non habet pennas, non volat, est Affirmata: Non si bestia est animal, est homo, est Negata. Rectiùs igitur propositioni in latitudine sua & generalitate affirmatio & negatio subjicitur.

3. Qualis autem hæc sit divisio magìs controversum est. *Totus 2. l. summ.* sentit, enunciationem in affirmativam & negativam distribui, tanquam subjectum in diversa accidentia. Contra hanc sententiam tale stat argumentum: Nullum accidens valet efficere rem hanc diversam vel aliam ab illa. Substantia, inquit *Seal. exer. 307. s. 27.* accidentium adventu, aut inhærentiâ, non fit aliud, sed alio modo se habens; ac remanet nihilominus eadem. Videat *exc. 6. s. 11.* Eadem n. est aqua, quæ antea erat frigida, jam est calida. Aequi affirmatio & negatio faciunt essentialem diversitatem in propositionibus. Hæc n. propositio: Homo est animal, alia est ab illa: Homo non est animal. Quamvis enim ratione materiæ sint eædem, diversæ tamen sunt ratione essentiæ. Vide *Ruv. 1. de interp. 4. q. 5.* At unde venit, quòd illæ propositiones sint diversæ, & illa non sit hæc, nec hæc illa? Non afferes aliam causam, quàm quòd illa est affirmata, hæc negata.

4. Alexander, quem sequuntur *Burana 1. prior. c. 1. Regius l. 2. disp. Log. probl. 4.*, asserunt, esse divisionem analogi in sua analogata. Ita arguunt: Ub

est prius & posterius, ibi est analogia: Species enim sub eodem genere proximo positæ sunt simul. *Arist. prædic. c.* 13. Sed affirmatio est prior negatione. Ergo analogiè cum ea convenit.

5. Respondeo: Duobus modis contingit inter duo vel plura esse prioritatem vel posterioritatem. 1. ratione prædicati superioris, cujus natura postulat ex se, prius & absolutè esse in una specie, & deinde in aliis per habitudinem ad primam, quæ posset dici inæqualitas essentialis dependentiæ. 2. ratione sui seu inesse, ita ut inæqualitas seu prioritas non proveniat à natura alicujus superioris, sed ab ipsis differentiis specierum. Prior modus tollit univocationem, & efficit analogiam. Posterior non facit analogiam, sed optimè stare potest inter species univocas. Affirmatio non est prior negatione priori modo. Etenim actio enunciationis non convenit priùs affirmativæ, per posterius verò & per analogiam ad affirmativam negativæ, sed utrique convenit æqualiter ὁλοχλήρως & κατὰ μίαν φύσιν. Non tamen negamus simpliciter affirmationem esse priorem negatione, sed hæc prioritas est secundùm posteriorem modum, & non valet efficere, quo minùs affirmatio & negatio sint species univocæ propositionis. Vide *F. Soar. disp.* 28. *s.* 3. §. 10. *Magist. Burs. Mont.* 1. *de interp. c.* 4. *Tolet. c.* 4. *q.* 2. *Ruv. c. eod.* 4. *q.* 5.

6. Quod diximus, patet, examinando omnes modos, quibus affirmatio est prior negatione, qui ab *Auth.* 4. *th. citat.* & aliis numerantur, quorum nullus univocationem impedit. 1. Affirmatio est prior negatione ratione simplicitatis. Negatio enim fit ex affirmatione aliquo superaddito. Sed quid absurdum unam speciem esse simpliciorem alterâ & unam compositam ex altera? vide *Tolet. in prædic. Quæst. q.* 1. *Ruv. cit. q.* 6. 2. Perfectione. *Regius. loc. cit.* At tantum abest, ut major vel minor perfectio tollat univocationem, ut potiùs impossibile sit, species duas ejusdem generis æqualis esse perfectionis. Vide *Soar. disp.* 29. *s.* 3. §. 16. 3. Cognitione. *Arist.* 1. *post. t.* 175. *Oberg. in comment. in prædic. Arist. fol.* 80. & *in com-*

ment.

ment. lib. peri herm. c. 4. etenim ipsum per se non Ens, si non describatur ratione noti cujusdam, prorsus est, ut *Plato* loquitur, ἀδιανόητον. Sed unam speciem posse esse notiorem alterâ vide apud *Zab.* 1. *de Meth. c.* 7. 4. Secundùm rem significatam, *Thom. in tract.* 1. *de interp. c.* 6. Nam affirmatio significat rem esse, negatio non esse. Simpliciter enim prius est, rem esse, quàm non esse. *Arist. text. cit.* 5. Secundùm intellectum, quia intellectu priùs componimus, quod est affirmare, quàm dividimus, quod est negare. Nam & simpliciter componere prius est quàm dividere. *Reg. cit. l.*

7. Contra 4. objicis. Omnis species est quid positivum. Propositio igitur negativa, cùm significet rem non esse, non est species propositionis. Respondet *Col. Conimb.* 1. *prior. c.* 1. *q.* 1. *art.* 2. Propositionem negativam objectivè quidem non esse quid positivum, quia objectum hujus propositionis: Socrates non est justus: est negatio justitiæ in eodem Socrate, formaliter verò esse positivum.

8. Quamvis non insitear illud IV. nihil probare propositionis affirmativæ prioritatem. *Non esse* enim est duplex, privativum & negativum. *Esse*, prius quidem est, quàm *non esse privativum*, quia omnis privatio præsupponit habitum. Vide *Zab.* 1. *de mat. prim. c.* 7. Sed *non esse negativum* est prius quàm *esse*. Eleganter *Mornæus de verit. Relig. Christ. c.* 1. *p.* 4. Rogo, inquit, utrùm prius fuerit, esse an non esse? vivere an non vivere? sentire aut non sentire? ratiocinari aut non ratiocinari? Utique in his essentiis, quas videmus rationem, sensum, vitam antecessisse, nemo dixerit. Aliquando enim non fuimus. Superest igitur, ut carentia essentiæ, vitæ, sensûs, rationis in his omnibus præcesserit. Cùm igitur propositio negativa potiùs negationem puram significet, quàm privationem, ut: homo non est bestia, paret. propositionem affirmativam hoc respectu sc: rei significatæ non esse priorem negativâ.

9. Concludimus igitur illam divisionem esse generis in species, quia propositio secundùm se perfectè

perfectè abstrahit ab affirmatione & negatione, & hæ æquè primò enunciationis naturam participant, cùm neutra in participando ab alia dependeat. Et hæc sententia est *Simplicii, Suesan. Lemos. Thomæ, Lovanien. Tolet. Ruv. Magist. Burs. Mont. c. 4. 1. Peiherm. & Coll. Coimb. loco all.*

10. *Propositio affirmativa est, cujus partes inter se componuntur & conjunguntur. Negativa, cujus una pars removetur & dividitur ab alia*, unde illa σύνθεσις, hæc διαίρεσις appellatur. Καταφασίς ἐστιν ἀπόφανσίς τινος κατὰ τινός. Ἀποφασίς ἐστιν ἀπόφανσίς τινος ἀπό τινος *Arist. 1. Perih. c. 4.* Affirmatio est enunciatio alicujus de aliquo, Negatio enunciatio alicujus ab aliquo. Ramus dicit: Axioma affirmatum est, cujus vinculum affirmatur, Negatum contrà, hoc est, cujus vinculum negatur.

11. Ut autem vinculum seu copula negetur, necesse est 1. ut negativa particula præcedat ipsam copulam, vel immediatè, ut Lapis non est animal, vel mediante antecedente, ut: Nullus lapis est animal. 2. ut negativa particula non claudatur intra partes propositionis, antecedentis sc. vel consequentis. Negatio enim nunquam potest agere aut vim suam explicare in ea, quæ præcedunt, sed tantùm in sequentia. Hæc igitur propositio: Lapis est non homo, non est negata, quia τὸ Non sequitur copulam, & est pars prædicati: item hæc: Homo creatura nullius pretii audet offendere creatorem suum, non est negata. Nec obstat negatio præposita copulæ, quoniam intra partes subjecti clauditur, ibique virtus ejus constricta & coangustata deficit, neque pertingit usque ad copulã. Totum enim illius enunciationis subjectum est, *homo creatura nullius pretii. Titelm. l. 3. c. 10. Schegk. in com. in l. Perih. c. 10. Crell. l. 2. part. com. c. 3.*

12. Notandum tamen, quòd plures negationes unam faciant affirmationem, quod verum est. 1. Si plures negationes illæ omnes simul cadant supra copulam, ut Nullus homo non est dives, seu, Non nullus homo est dives. Nam si plures sint negationes in propositione, & una tantùm referatur ad copulam, altera

verò

verò vel ad subjectum vel prædicatum, propositio relinquitur negata, ut : homo non est non animal. 2. Si negationes sint numero pari, duæ sc. vel quatuor. Nam si in aliqua propositione negationes numero impari tres sc. vel quinque super copulam cadant, propositio non affirmatur, e. g. dicendo : Non nullus homo est improbus: est enunciatio affirmativa, quia ante copulam sunt duæ negationes. Dicendo 2. Non nullus homo non est impius, est negativa, quia tres negationes copulam præcedunt. Æquipollet enim huic: Quidam homo non est impius. Hinc Scholasticorum regula: *Negationes in numero pari super unum terminum cadentes, terminum illum intactum relinquunt.* Vide *Titelm. c. cit. & Barthol. ab Using. compend. Log. tract. 1.*

13. *Propositio 2. vel Simplex est, vel composita.* Illa aliâs Categorica dicitur, quòd in ea simpliciter unum de altero prædicetur, hæc Hypothetica, Conditionalis speciei vocabulo ad genus translato, cùm propositio hypothetica sit species præcipua & communissima inter compositas. Quapropter etiam *Plutarch.* de particula εἰ, quæ inscribebatur templi Delphici foribus sic ait. ἐν δὲ Διαλεκτικῇ δήπου μεγίστην ἔχει δύναμιν ὁ συναπτικὸς οὗτοσὶ σύνδεσμος, ἅτε δὴ τὸ λογικώτατον σχηματίζει ἀξίωμα. h. est. in Dialectica maximam certè vim habet connexiva hæc conjunctio Si: quæ axioma maximè Logicum figurat.

14. *Regius l. 2. disp. Log. probl. 4.* Simplicem propositionem definit quæ unicâ oratione, h. e. unico subjecto & prædicato constat : Compositam, quæ ex pluribus simplicibus constat. *Antiquis Peripateticis*, quos recenset *Colleg. Con. 1. de interp. c. 4 q. 4. art. 5.* illa definitur, quæ unicâ verbali copulâ continetur, hæc, in qua duæ sunt verbales copulæ conjunctæ, per aliam conditionalem, copulativam aut disjunctivam. Ab his non multùm absunt definitiones Rami : Axioma simplex est, quod verbi vinculo continetur; Compositum quod vinculo conjunctionis continetur *l. 2. Dial. c. 4. & 5. Titel. l. 3. consid. dialect. c. 6. & 19.* definit Simplicem, quæ habet subjectum & prædicatum copulâ verbali conjuncta. Compositam, quæ ex pluribus constat enunciationibus

ditionibus conjunctionali aliquâ particulâ ad invicem conjunctis.

15. Differunt a. enunciatio simplex & composita primis dupliciter 1. quoad materiam. Partes enim materiales simplicis, sunt subjectum & prædicatum, sive hæ sint simplices voces, ut homo est animal, sive orationes, imperfectæ tamen & verum vel falsum non significantes, ut homo est animal utens ratione. Nunquam n. propositio simplex conficitur ex oratione perfecta, aliâs enim non esset simplex. Composita a. ex simplicibus propositionibus integris proximè constat. Dico *proximè*, si n. de remotis partibus loquamur etiam ex incomplexis terminis est.

16. Differunt 2. quoad formam. Dispositio enim in simplici enunciato semper sit per copulam verbalem, in composito a. per conjunctionem aliquam Grammaticalem, Si, Et, Vel &c. Unde etiam ab *Arist.* hæc appellatur enunciatio una, non simpliciter, sed conjunctione.

17. Quamvis autem in omni enunciatione compositâ necessariò etiam sit copula verbi, tamen illa non est copulæ, sed materiæ instar est, ut rectè *Coll. Conimbr. in 1. inquit.* Sint duæ propositiones simplices, verbi gratiâ est homo, Lapis est animal, jam nulla alia fiat mutatio, accedat tantùm conjunctio Si, vel quæ huic æquipollet, & erit hypothetica propositio, Si lapis est homo, lapis est animal. Copulæ verbales, quæ in illis simplicibus habebant locum formæ, in hac compositâ tenent locum materiæ. Informantur tamen aliquâ accedente conjunctione.

18. Unde patet per definitiones *thes.* 2. positas omnia rectè definiri propositionem simplicem & compositam, cum aliquo tamen discrimine. *Regis* enim definitiones, cum quâ convenire videntur *Arist.* illæ: Enunciatio simplex est, quæ aliquid de aliquo dicit vel aliquid ab aliquo removet; composita quæ ex simplicibus constat 1. *de interp. c.* 4. Vide *Coll. Conimbr. in* 1. Exprimunt diversitatem materiæ, quam habent. *Aliquorum* diversitatem formæ per diversas copulas. Titelmanni complectitur diversitatem materiæ, & diversis formis.

19. Cæterùm distributionem propositionis in simplicem & compositam non esse subjecti in accidentia certum est, quia sumitur ab ipsa copulatione per copulam effecta & significata, quæ alia est in categorica, alia in hypothetica, sicut patet ex *th.* 15. & 16. & confirmatur authoritate eorum, qui dicunt istam divisionem sumi à substantia tota propositionis. *Mag. Burs. Mont. c. cis. Tolet. c. cit. q. 2. Tstelm. l. 3. c. 11.*

20. *Boët. Thom. Tolet. Ruv. Magist. Burs. Mont.* volunt esse divisionem analogi in sua analogata. Nos verò cum *Soto. l. 2. summul. c. 6.* divisionem generis in species esse statuimus.

21. Sic argumentamur: Analogum convenit ut analogatorum per se & principaliter, alteri per attributionē ad illud, seu per dependentiam ab illo. Vide *Iavell. 4. Metaph. q. 1. Ruv. tract. de Anal. num. 2. Soar. disp. 28. s. 3. §. 20. Zab. de consil. scuen. Natu. c. 10.* Sed propositio æquè dicitur de composita & simplici, & composita non dependet in suo esse à simplici. Patet, quia affirmatio & negatio, veritas & falsitas enunciationis hypotheticæ non dependent formaliter ab affirmatione & negatione, veritate & falsitate categoricæ. Hæc enim Hypothetica, si homo non est substantia, non est animal, est affirmativa vera, cùm tamen simplices, ex quibus constat, sint negatæ & falsæ. Quin etiam ipsa essentia enunciationis compositæ, non dependet ab enunciatione simplici. In propositione enim composita, addit nova forma, & nova copula ad simplices, quæ non dependet à simplici nisi materialiter, vide *thes.* Et tantum de his.

Disputatio V.

De partibus Propositionis simplicis.

1. PLena & distincta cognitio totius sine cognitione partium esse non potest. Æquè enim surdum est, dare totum sine partibus, & cognoscere totum non cognitis iis ex quibus constat. Cùm sit *disput. præced.* de propositione simplici actum

consequens est, ut partes ipsius jam videamus.

2. *Partes propositionis sunt Subjectum & Prædicatum. Subjectum est de quo aliquid prædicatur.* Unde etiam à *Damasc. Dial. c. 16.* ἐπικείμενον πρὸς κατηγορίαν, subjectum prædicationis vocatur, & distinguitur à subjecto, quod dicitur πρὸς ὕπαρξιν secundùm exsistentiam. Nam dicendo: Scientia est habitus, Scientia, est subjectum prædicationis, non verò exsistentiæ. *Prædicatum est, quod de subjecto prædicatur,* Græcè κατηγορούμενον, item τὸ περὶ ἑτέρου λεγόμενον.

3. *Arist. 1. prior. c. 1.* hasce partes propositionis vocat ὅρους, terminos, vel quia propositionem tanquam extrema terminant, vel quia propositio in illos resolvitur, i. e. retexitur seu definit, ut alii cum *Arist.* volunt, vel propter utrumque, *Fonsec. l. 6. Instit. c. 9.* Nec enim ultra terminum logica resolutio abire potest, siquidem quòd syllabas & literas spectat, earum tractatio Grammatici negotii est, ut ait *Philopon.* Vide *Zabar. 1. de nat. Log. c. 3.*

4. Copulam non vocat terminum, quia propriè in partes aliquid dicitur resolvi, sed vinculum non est pars propositionis.

5. Observa autem hîc discrimen inter prædicabile, prædicatum, prædicationem & prædicamentum. Prædicabile dicitur, quod habet aptitudinem, ut prædicetur. Prædicatum, quod actu prædicatur. Prædicatio dicitur propositio affirmativa. Propositio n. negativa non propriè prædicatio, sed divisio quædam dicitur. Prædicamentum est ordo & dispositio multorum prædicamentorum & prædicabilium sub uno genere generalissimo per subalterna ad infimas species, & sunt decem, *Arman. de Bell. Vis. c. 280. tr. 2. Toletus prædic. de gen. p. 46.*

6. Cæterùm subjectum in propositione est instar materiæ, prædicatum instar formæ. 1. quia sicut materia per se est indeterminata & determinationem forma recipit: sic subjectum à prædicato determinatur. 2. sicut materia est prior formâ: ita subjectum est prius prædicato. 3. ut materia est subjectum inhæsionis adjuncti: sic hoc est subjectum prædicationis,

& sæpe coincidunt subjectum inhæsionis & prædicationis, *Regius disp. log. l. 2. probl. 3. & Zab. 1. post. t. 200.* Addo 4. Sicut res denominatur tale non à materia, sed forma: sic propositio, quæ affirmatur, dicitur prædicatio, non à subjecto, sed à prædicato. Hinc rectè *Schegk. in comment. in l. Perihe. c. 8.* prædicatum vocat principalem propositionis partem & mensuram ejusdem.

7. Objicis, prædicatum non posse determinare subjectum, quia semper vel latius sit subjecto, vel saltem æquale. Determinans autem necessariò esse debere angustius determinato.

8. Respondeo, 1. Non consideramus hîc an prædicatum latius esse debeat quàm subjectum, vel angustius, an propositio sit naturalis vel non naturalis. Hæ enim sunt conditiones ad materiam propositionis pertinentes, de quibus infrà. Sed nudam propositionum formam abstractam ab hac vel illa materiæ conditione hîc tractamus. Itaque quoad formam non minùs proba judicatur hæc: Animal est homo, quàm illa, homo est animal. Vide *Crell. & Arnis. in ipsum part. comm. l. 2. c. 2. lit. d, eund. Arnis. Theod. c. 3. lit. A. 2.* Prædicatum determinat & coarctat subjectum, non ut res quædam est (sic enim semper prædicatum vel æquale est subjecto vel latius naturaliter) sed ut est considerabile & subjicibile, quoniam aliis etiam modis considerari, & pluribus prædicatis subjici potest. v.g Homo est animal, prædicatum, *animal*, latiùs patet, quàm *homo* re ipsâ, determinat tamen animal hominem, prout est subjicibilis, quia homo aliis etiam prædicatis subjici potest, ut quòd sit substantia, quòd corpus &c. Vide *Zabar. 1. de nat. log. c. 18. & de constitut. natur. scient. c.*

9. Nec est etiam quòd dicas: Prædicatum est partem materialem propositionis, sicut & subjectum, ideóq; non posse esse formam. Respondeo: Prædicatum respectu totius propositionis esse materiam, respectu verò subjecti habere rationem formæ. Quid enim absurdi est, unum idémque diversâ ratione esse materiam & formam? *Tolet. l. 1. de interp. c. 3. de verb.*

10. Po

10. Porrò ut ex subjecto & prædicato propositio
nst tuatur, oportet 1. prædicatum esse quid diver-
m à subjecto, aliàs n. fit propositio identica, qua
t quando idem de se ipso prædicatur, ut homo est
omo, Petrus est Petrus.

11. Quam prædicationem identicam *Cajetan. c.*
lyte. naturalem quidem esse dicit, quia vera est,
d non artificialem, quia usus ipsius arti & scientiæ
on deservit. Et hinc est, quòd *Averr. 1. prior.* cru-
m ipsam & insipidam, inque fine abominationis
ositam esse dicit.

12. Non autem necesse est ad propositionem non
identicam efficiendam, ut realis inter subjectum &
rædicatum sit differentia. Satis est, si differant le-
issimâ rationis distinctione & respectu postrùm, &
um sumatur ut notatus altero, vel tanquam *ἐμφατι-*
κὸν, licèt eadem utrobique sit res.

13. Non igitur est identica propositio, quâ defi-
itio dicitur de definito, ut homo est animal rationa-
, sicut putat *Mairb. Flac. l. 4. Log. gener. c.* 2. Propo-
tio enim, quâ unum idemque prædicatur de seipso,
hil docet, non est artificialis, *th.* 9. At quomodo
efinitionis de definito prædicationes non habent
m docendi, cùm sint præcepta artium? Similiter
ona est propositio, ubi vocabula *συνώνυμα* de se in-
cem dicuntur, ut gladius est ensis, quia hîc ensis
nitur ut quid notius gladio.

14. Oportet 2. ut subjectum & prædicatum inter
copulentur & disponantur, quod fieri non potest
ne intermedio vinculo seu l gamento, quod vinculum
u copula an pars propositionis essentialis sit, inter
erpretes controvertitur.

15. Ab aliis quæstio hæc ita proponitur: An ver-
m sit pars propositionis. At res eódem recidit. Est
im *ex disputatione* 2. repetendum, verbum duo ha-
re, primò rem quandam significare cum tempore,
cundò significare copulationem prædicati cum sub-
cto. Secundùm prius certum est verbum nihil aliud
e, quàm ipsum prædicatum, secundùm posterius
hil aliud, quàm copulam.

16. *Porphyr. Ammon. Albert. Magn. Thom. Dott. Lovan. Tolet. c. de verb. q. 1. Coll. Con. 1. Prior. c. 1. q. 1. art. 3. Rub. c. de verb. q. 1. Reg. l. 2. disp. Log probl. 3. quibus adjunge Goclenium parte 3. probl. log. 20.* sententia est, propositionis partes esse in duplici differentia: vel esse materiales, ut subjectum & prædicatum, vel esse formales. Copulam non quidem esse partem materialem, sed tamen formalem.

17. *Goclen.* ad hoc stabiliendum vritur sequentibus argumentis 1. Sine copula nec simplex axioma nec compositum esse potest. Igitur copula est pars axiomatis.

18. 2. Omnis enunciatio, propriè & primò est affirmata vel negata. Affirmatio autem & negatio συνδέσμῳ una à copula *Est* dependet. Nam per *Est* ibi consequens de antecedente affirmatur vel negatur. Ergo. Est συγκατηγορούμενον, id est, junctum prædicato est pars enunciati formalis significans quidem si affirmetur, rem cum re conjunctam esse, eique consentaneam: sin verò negetur, rem à re disjungit, eique dissentaneam esse.

19. 3. Comparat copulam *Est* ligamento seu astrigmento sutoris. Sicut, inquiens, hoc astrigmentum non est solea, nec obstragulum, sed medium & vinculum horum ad formam calcei perficiendam, & calceus non potest esse sine ligamento seu astrigmento & ita fit pars calcei: Ita Logico vinculum *Est*, neque est subjectum, nec prædicatum, sed horum nexus ad formam enunciati absolvendam, & ita fit pars enunciati, sine qua enunciatum esse non potest.

20. 4. Comparat τὸ *Est* vinculo animi & corporis, spiritui vitali. Sicut hic, inquiens, nec corpus est, nec anima, sed medium unionis, seu tale, quo corpus & anima inter se cohærent essentialiter, ac fit hominis aliqua pars. Sic τὸ *Est* est medium, quo extrema enunciati uniuntur & cohærent, ac fit aliqua hujus pars.

21. 5. Præoccupat *Goclen.* Nec dici potest vinculum esse enunciati efficientem causam, nullâ verò ratione partem. Vinculum enim ingreditur enunciationem.

em. Causa verò efficiens est extra rem effectam. Efficiens autem enunciati est διάνοια, seu est vis & ἐνέργεια mentis, quæ dicitur compositio & divisio. Hæc præcipua sunt ad positã sententiam stabiliendã.

22. Contrarium statuunt *Sotus in sum. Villalpandus, Suessan. Schegk. in comm. c. de verbo.* nimirum copulam partem propositionis esse non posse, cum quibus non facimus, sententiam nostram tribus conclusionibus explicantes.

23. Conclusio prima: *Copula non est pars materialis propositionis.* Et in hoc cum prima sententia convenimus. Probatur ita: Quicquid non cadit sub primam mentis operationem, non potest esse materia propositionis. Vide *disp.1.de nom.th.19.* Sed copula non cadit sub primam animi operationem. *Vide ejusd. disp. th. 16.* Ergo.

24. Secunda: *Copula non est pars formalis propositionis*, contra primam opinionem: ubi considerandum, quòd in unaquaque enunciatione tria dentur. 1. extrema, τὰ ἄκρα seu termini. 2. dispositio terminorum & conjunctio. 3. copula, quæ est medium seu instrumentum, cujus beneficio dispositio illa perficitur. Et hæc tria sunt in omni enunciato, sicut & in aliis plerunque artificialibus rebus, ut in domo materia sunt ligna & lapides: forma, dispositio horum: clavi & ligamenta sunt instrumenta & causæ, sine quibus ligna & lapides disponi non possunt. Jam ita argumentamur: Dispositio seu copulatio extremorum est forma propositionis, ut sentiunt omnes. Sed copula non est ipsa copulatio seu dispositio. Ergo non est forma propositionis. Assumptio patet. Aliud enim est forma, aliud dans formam seu id, quo tanquam instrumento & causa sine qua non ipsa forma confertur. Et confirmatur hoc ampliùs. Quis nunquam dixit clavos & ligamenta esse formam domûs? quis non videat aliud esse ipsam dispositionem domûs, aliud clavos, sine quibus dispositio esse non potest? Arcæ forma est certa dispositio asserum; medium quo asseres disponuntur & conglutinantur est gluten. Quis non aliud esse gluten, aliud dispositionem

& formam arcæ videat? Et hisce comparationibus ipse etiam *Totus* utitur.

25. Tertia. Diversitates & distributiones propositionum, quæ ab ipsa essentia & forma propositionum dependent, sumûtur à vinculo eidémque acceptæ referuntur, non quòd vinculum seu copula sit ipsa forma in enunciationibus, sed quia mutatio seu diversitas dispositionis & formæ in propositione semper requirit diversum vinculum. Et ideo asscribuntur vinculo, quia vinculum non solùm requiritur ad dispositionem tanquam intermedium aliquod, sed etiam est signum ipsius dispositionis, & ita quodammodo est notius ipsâ: v g. divisio propositionis in simplicem & compositam est à diversa dispositione tanquam à forma, sed quia diversitas hujus dispositionis requirit sibi diversas copulas, quibus mediantibus diversificatur & significatur, ideo dico: simplex propositio est, cujus vinculum est verbum, composita, cujus vinculum est conjunctio. Sic affirmatio propositionis nihil aliud est, quàm propositio cum subjecto; negatio, disjunctio prædicati à subjecto. Quoniam a. affirmatio non est sine vinculo affirmato, negatio non sine vinculo negato, ideo definio affirmationem, quòd sit, cujus vinculum affirmatur, negationem, cujus vinculum negatur.

26. Restat, ut ad argumenta Goclenii pro contraria opinione adducta respondeamus. Ad 1. est elenchus παρὰ τὸ ἐπόμενον. Sine causa efficiente, imò etiam sine causa sine qua non res esse nequit: *Gocl. ipse 1. part. probl.* 15. B. causa efficiens, causa sine qua non est pars rei? *Resp.* Pars rei non est id sine quo res non producitur, sed id sine quo res producta manca exsisteret.

27. In Redactis in Syllogismum *Goclenii* verbis 2. argumenti multa possent ostendi incómoda, sed simplicem & sufficientè responsionè præbebit tibi *th.* 25.

28. Arg. 3. inverto. Sicut se habet astrigmentum sutoris ad calceos, ita se habet copula ad propositionem. Non autem astrigmentum, sed dispositio & certa conjunctio soleæ & obstraguli est forma calcei, astrig-

strigmentum autem est solùm medium, ut ipse etiam Goclen. appellat, per quod fit illa dispositio. Igitur nec copula est forma propositionis.

29. Nihil potuisset *Goclen.* proferre, quod suam sententiam magis & fortiùs elideret, nostram a. juraret & illustraret quàm 4. argum. Falsissimum est & apud Philosophos & Medicos spiritum vitalem esse partem animalis. Vide *Fernel. in Phys. l. 2. de elem. c 2. in Path. l. 1. c. 3. Clar. Horst. de an. ex. 4 q. 7. Mag. l 5. phys. c. 8. Arnis. in not. in L. Crell. l. 3. p. com. c. 3. lu. a.* Ideóque nos sic dicimus: Quêadmodum Spiritus vitalis est vinculũ quo anima & corpus animalis cõjũgãtur, nec tamẽ est pars animalis, ita copula in propositione uniẽs extrẽa & partes nõ est pars propositiõis.

30. Ultimum arg. nos non ferit. Neq; n. dicimus copulam esse causam efficientẽ propositionis, sed instrumentũ. At aliud est causa efficiens, aliud instrumentum. Vide *Pic. gr. 2. ph. mor. c. 7.* Quòd si dicas, nihilominus instrumentũ reduci ad causam efficientem; Concedo, & R. 2. dupliciter posse aliquid ingredi aliquam rem, vel ratione essentiæ, vel ratione subjecti, seu loci. Nulla efficiens imò & nullũ instrumentum ingreditur aliquam rem priori modo, h.e essentialiter, sed ratione loci & subjecti non omnis efficiens extra rem est. vide *Zab. 1. de propos. nec. c.* 10. Dicit quidem *Goclen.* vinculum esse in enunciatione, sed nondum satis est, debebat expressisse, quõodo in ea sit. Si intelligat copulã esse in enũciatione tanquã in subjecto, concedo. Ita n. & spiritus vitalis est in animali; si essentialiter, nego, quia nulla est consequentia: Copula est in propositione. Ergo est in ea essentialiter, seu tanquam pars.

Disputatio VI.

De Propositione universali, particulari, indefinita & singulari.

1. PRopositio simplex distribuitur vel ratione quantitatis, vel ratione materiæ, hoc est, Subjecti, vel ratione qualitatis; Vide *Magist. Burs. Mont. in quæst. 1. Periherm. cap. 4.*

2. Quantitas autem propositionis nihil est aliud, quàm dispositio addita subjecto, quâ mensuratur acceptio ejus, pro uno pluribúsve suppositis, hoc est, quæ perspicitur, utrùm prædicatum attribuatur subjecto vel ab eo removeatur, secundùm omnia sub se contenta, vel secundùm aliqua tantùm &c. Ut in hac universali, Homo est animal, animal ita attribuitur homini, ut attribuatur etiam omnibus individuis sub specie humana collocatis. In hac particulari; Quidam homo est doctus, prædicatum doctus ita attribuitur homini, ut tamen non omnibus individuis humanis queat attribui &c. Sicut enim quantitas prædicamentalis est mensura Substantiæ, ita hæc quantitas mensura attributionis prædicati respectu subjecti secundùm contenta sub se. Vide *Magist. Burs. Mont. lib. cit. c. 5. Reginm lib. 2. Disp. Log. problem. 4.*

3. Ratione hujus quantitatis *Propositio alia est Universalis, alia Particularis, alia Singularis, alia Indefinita. Arist. 1. de Interp. c. 5. Fonseca* dicit, hanc divisionem dici secundùm quantitatem, quia fit secundùm numerum earum rerum, pro quibus accipiuntur subjecta enunciationum. *l. 3. Instit. c. 5.*

4. *Propositio Universalis est, quâ universale prædicatum universali Subjecto universaliter attribuitur. ex Arist. c. cit.*

5. Universale est nomen ambiguum & pluris significatûs. Primò significat aliquid simplex seu incomplexum, quod ad plura ordinem habet. Et sic Universale est quadruplex: vel in causando, qualis causa est DEUS, qui ad multos effectus refertur; vel in essendo, ut si daretur idea Platonis; vel in prædicando, quod aptum natum est de multis dici, ut Genus vel Species; vel in significando, quale est Cometa, multa mala prænuncians. Secundò accipitur pro aliquo complexo. & sic iterum vel strictissimè sumitur, quomodo *Arist. 1. Post. c. 4.* accipit pro propositione, sumè necessaria, cujus termini reciprocantur, quam vocat καθόλου; vel minùs strictè pro omni propositione, in qua universaliter aliquid alicui inesse vel non in-

inesse dicitur. Et de hoc ultimo nobis jam agendum, prioribus ad nostrum institutum non pertinentibus. Vide *Soar. disput. 6. sect. 8. §. 2. & 3. Zab. l. 2. de propos. necess. c. 1. 1. Post. c. 13. l. 63. t. 81. Tolet. & Rud. de univers. q. 1. Coll. Conimb. in Procem Porph. q. 1 art. 1.*

6. Tria autem, ut ex definitione videri potest requiruntur ad propositionem Universalem. 1 Subjectum universale. 2. Prædicatum Universale. 3. Universalis dispositio prædicati cum subjecto. Tunc autem prædicatum cum subjecto universaliter disponitur, quando quicquid de subjecto dicitur vel negatur, etiam dicitur vel negatur de omnibus, quæ sub subjecto posita sunt. Vide *Thes. 2.*

7. Hæc Propositio Universalis vocatur etiam propositio κατ' ἐξοχὴν. quæ est duplex, vel prioristica, vel posterioristica. Prioristica requirit universalem tantùm subjecti acceptionem; Posterioristica flagitat insuper temporis perpetuitatem; Ut hæc: Omnes Collegæ sunt in Collegio, est quidem de omni prioristica, sed non posterioristica, quia non semper sunt in Collegio. Prioristica hujus loci est. Vide *Zab. 1. de propos. necess. c. 2.*

8. Fit autem propositio Universalis mediante signo universali. Unde communiter definitur, quòd sit cujus Subjectum notatur signo universali. Signum autem Universale est, quod additum Subjecto communi facit ipsum stare pro omnibus suis significatis copulativè, *Barth. ab Using. tract. 1. c. mp. Log.* Tunc autem stat pro suis significatis copulativè, quando cum omnibus, quibus nomen & definitio Subjecti competit, prædicatum copulatur; ut: Omnis homo est animal; animal, prædicatum competit huic homini, isti, & illi, nec potest dari individuum hominis, de quo non prædicetur; Nullus homo est lapis, hic homo non est lapis, ille non est lapis, nec quisquam homo potest reperiri, qui sit lapis. Vide *Fons. l. 8. Instit. Log. c. 28.*

9. Ramistæ negant ex nota sive signo Universali Propositionem Universalem rectè definiri. 1. Quia epissime absit nota hujusmodi. 2. Quia non sit cau-

sa, cur propositio sit generalis, sed potiùs propositionem Universalem esse causam cur nota addatur.

10. Respondeo. Ad 1. Propositio Universalis semper habet signum Universale, vel expressè positum, vel subintellectum, ad eundem modum, sicut ipse Ramus definit axioma simplex per vinculum verbi, quod licèt non semper expressè ponatur, tamen semper est subintelligendum. Ad 2. Verissimum est signum non esse causam cur propositio sit Universalis vel Particularis; Essentia n. ipsius consistit in universali attributione prædicati universalis ad Subjectum universale, sicut ex ipso *Arist. c. 5. cit.* videri potest. Interim tamen, quia signum universale est medium, quo mediante propositio universalis sit, & sine quo esse non potest, ideo definitur per hujusmodi signum, tanquam per notius aliquid. Non. n. semper definimus rem per ipsam essentiam ejus, sed sæpe per aliquam proprietatem, vel aliud aliquid, quod nobis notius est. Vid *Zab. 1. Poster. c. 21.* Fecit hoc *Arist.* dum definivit enunciationem per verum vel falsum. Fecit ipse Rom. dum definivit axioma simplex per vinculum verbi.

11. Signum Universale vel affirmatum est, ut Omnis, vel negatum, ut Nullus, & quæ hisce æquipollent. Ubi nota Syncategorema, Omnis, vel Distributivè sumi, vel Collectivè, seu Copulatè. Quando distributivè sumitur, notat iterum distributionem vel in singula generum, vel in genera singulorum. In singula generum, quando prædicatum ita de subjecto dicitur, ut de omnibus etiam individuis sub eo contentis dicatur, vel absolutè: ut, omnis homo est animal: vel cum exceptione: ut, omnia animalia erant in arca Noe, excipiendi n. sunt pisces. In genera singulorum, quando prædicatum de subjecto dicitur, & de omnibus speciebus, vel quasi speciebus seu ordinibus ejusdem, non a. de omnib. Individuis: ut quando dicitur, Christus curavit omnem morbum, *Matth. 9.* non intelligendum est, quasi omnes morbos in individuo sanârit, sed quòd nulla sit morbi species, quæ non ab ipso fuerit expulsa. Collectivè sumitur, cùm prædicatum dicitur de omnib. specieb. vel individuis simul sumtis, de

de nullo v. seorsim sumto: Ut, omnes Apostoli sunt duodecim, quod non verum est de Petro, Paulo, &c. sed de hisce & reliquis omnibus collectivè sumtis. Vide *Iod. Isen. l. 1. epit. Dial. c. 3. Fons. 8. Inst. c. 34. & 35. Matth. Flac. l. 4. Log. Gen. c. 3.*

12. Quando distributivè absolutè sumitur, propositio maximè est universalis & hujus loci: Reliquæ accepciones nihil vel parùm huc pertinent.

13. Cæterùm *Keckermannus l. 2. Syst. Log. s. 1. c. 2.* existimat, adverbia quæ loci, vel temporis universalitatem significant cùm Nominis locum tenent etiam universales propositiones facere. *Titelm. l. 3. c. 8.* negat quidem Universalia adverbia affirmativa, Ubique, Semper, &c. posse efficere universalem propositionem, negativa tamen affirmat posse, ut, Nunquam, Nusquam &c.

14. Sed nec adverbia hujusmodi affirmativa, nec negativa hoc possunt: Quia omnis propositio additogno Universalitatis est Universalis: Sed propositio potest manere particularis, & singularis, licèt horum adverbiorum aliquod in ea sit; ut: Ubique quidam homines sunt docti; Ubique Nero est ferus; Nunquam hic homo studet; Nusquam hic homo reperitur.

15. Ratio a. est, quia omne signum universale vel particulare determinat subjectum, cui apponendum est, non prædicatum. Sed in positis propositionibus & similib. adverbia licèt præponantur subjectis, non tamen ipsum determinant, sed potiùs copulam afficiunt, affirmando vel negando illam ratione temporis vel loci.

16. Dico, signum esse addendum subjecto, nunquam prædicato: Si n. in propositione universali affirmativa signum universale addas prædicato, falsa erit propositio: Ut, omnis homo est omne animal. Si v. in universali negativa signum universale, itémque particulari, sive affirmativâ fuerit, sive negativâ, signum particulare addideris prædicatis, propositiones non quidem falsæ fient, sed tamen efficies redundantiâ & περιτολογίαν. Vide *Arist. l. 1. Pe. h. c. 5. & Tolet. & Coll. Con. in h. c. Jacob. Scheg. in Com. 1. Prior. s. 2. c. 28.* qui

tamen

camen in hoc fallitur cum *Aver.* & *Boët.* quòd existimat, tum posse addi signum universale prædicato, quando illud reciprocatur cum subjecto.

17. *Propositio particularis est, cujus universale Prædicatum particulariter attribuitur Subjecto universali.*

18. *Propositio indefinita est, cujus Prædicatum attribuitur Subjecto simpliciter*, hoc est, neque universaliter, neque particulariter, sed prout indifferenter se habet, & indeterminatè ad propositionem universalem vel particularem, ut: Homo est animal: Homo est probus. Unde etiam indefinita, h. e. indeterminata appellatur.

19. Ut igitur propositio sit indefinita requiruntur. 1. Subjectum Universale. 2. Prædicatum Universale. 3. Attributio horum extremorum talis, quæ abstrahit ab attributione universali vel particulari. Unde porrò fit ut hujusmodi propositionibus nullum addatur signum. Quia necessariò omne signum vel universalitatis est, vel particularitatis, quod se indifferenter habeat ad universale vel particulare, nullum reperitur: Et hinc aliis definitur, quòd sit cujus Subjectum commune nullo notatur signo.

20. Propositionem Indefinitam tota Ramæorum turba tanquam orci portas adversatur, eidémque se se opponit acerrimè. *Ramus l. 5. Schol. Dial. c. 3.* Primò: Infinitum axioma, inquit, quod interpretur, ridiculum est: Nam cùm sic infinitè proponitur aliqui's Homo est animal's Sensus generalis aut specialis accipitur: medius & infinitus, qui fingitur, nullus est Intellectus.

21. Respondeo. I. Ramus confundit terminos. Propositio n. de qua hîc quæstio, non infinita, sed indefinita appellatur, sicut & ipse *Arist.* distinguit, illam ἀόριστον (de qua *seq. disput.* agetur) vocans, 2. *Perih. c. 1.* hanc ἀδιόριστον 1. *Prio. c. 1. Elac. l. 4. Log. Gener. c. 10.* II *Disp. præc.* dictum est; Propositionem posse considerari vel ratione nudæ formæ, vel ratione materiæ. Si ipsam materiâ & conditiones atq; naturas rerum, quæ in enunciatione disponuntur, spectes, propositio infinita non est distincta à generali vel particulari.

Est enim Universalis in materia necessaria, ut, Homo est risibilis: Particularis in contingenti, ut: Homo est doctus. Si v. nudam formam consideres, & abstrahas propositionem indefinitam à conditionibus materiæ, datur medius sensus inter propositionem universalem & particularem, qui indifferens est ad utrumque oppositorum. Exempli gratiâ: Virtus est mediocritas: Hæc propositio si consideretur nudè, ut profertur, & prout signa universalia vel particularia expressè apposita, vel subintellecta non habet, est indefinita. Si dicas esse universalem, quia mediocritas necessariò cohæreat cum virtute & ipsius essentiam constituat, dico ego hoc modo ipsam non ampliùs ratione solius formæ considerari, aut abstrahi à ratione universalitatis.

22. Syllogismus consideratur duobus modis in Logica. Primò ratione formæ, nullâ habitâ materiæ ratione in *Prior. Analyt.* Deinde prout hanc vel illam materiam respicit, *in Poster. Anal. Topic. & Elench. Tab. 2. de Nat. Log. c. 8. de 4. Fig. c. 8 Ruv. pro l. Elench. n. 5.* Qui diversus considerandi modus, cur non etiam in doctrina propositionum locum habeat, nullus video. Vide *Arnis. in Not. in Log. Crell. part. comm. l. 2. c. 2. lit. δ.*

23. Pergit *Ramus*: Atque hæc infinitio (quæ Arist. dicitur) homonymia fuerit & sensûs ambiguitas, quæ ab Aristotele inter vitia meritò numeratur.

24. R. Turpiter se dat omnino Ramus, dum homonymiam & sensûs ambiguitatem, quæ Aristoteli ἀμφιβολία dicitur, pro uno eodémque sumit. Homonymia est in una dictione: Unde à *Thom.* definitur, unius ejusdémque nominis significatio diversa. *A Petro Hispan.* deceptio proveniens ex dictione actualiter una, plura tamen significante; ut in hac propositione: Canis est substantia: est homonymia, quia terminus Canis plura significat. Amphibolia est in integra oratione, quando nimirum sensus totius propositionis est ambiguus, ut, cùm dico; Velle me hostes capere: ubi propositio duobus modis potest intelligi: Vide

Arist

Arist. l. Prad. c. 1. de Elench. 1. c. 3. Magist. Burs. Mont. in Arist. loco cit. Coll. Con. in duos l. Elench. q. 1. art. 3. Titelm. l. 5. c. 6. & 7. & alios Interp. plures. Jam in propositione indefinita, neque est ἀμφιβολία, neque ἀμφιβολία. Non illa; quia in hac, homo est animal, neuter terminus plura significat; Non hæc, quia licèt Ramus existimet, quando profero propositionem indefinitam, sensum esse ambiguum & significare tam particulariter quàm universaliter, ita, ut nescias quomodo intelligendum sit, tamen falsum hoc est, quia propositio indefinita secundùm se præsè neutrum significat, hoc est, neque universaliter, neq; particulariter, & est medium inter hæc, non per participationem, sed per negationem. At amphibolia est medium inter duos sensus per participationem, quoniam utrumque significat.

25. *Donnamus* & reliqui Ramistæ ita arguunt: Præcepta artium sunt indefinita. Præcepta artium sunt generalia. Ideóque quædam indefinita sunt generalia, & per consequens propositio indefinita non est diversa ab universali. Propositio patet, quia præceptis artium, ut definitionibus signum præfigi non solet. Assumptio, quia omnis definitio semper est Universalis. 1. *Poster. t.* 103.

26. Respondeo per negationem majoris, & dico in præceptis artium, licèt non expresè ponantur signa universalia tamen subintelligi. Philosophi n. cùm dicunt speciem idem intelligunt, atque si totam intelligerent speciem; Idem n. est & homo & omnis homo. ὁ ἄνθρωπος ὅπερ ἄνθρωπος, τὸν ἢ πάντα τὸν ὅπερ inquit *Scal. ex.* 211. *s.* 2. Et videndum quando aliqua propositio sine signis profertur, an aliquod signum intelligatur, an verò non. Si illud, est universalis, vel particularis, si hoc, est indefinita. Neque n. ut *Keckerm.* cum aliis errat, propositio universalis non est, nisi habeat signum universale expresè additum.

27. Propositio singularis est, cujus subjectum est res singularis, seu Individua, ut: Petrus est Apostolus. Hic homo est nobilis &c.

Disputatio VII.
De Modalibus.

1. EGimus disputatione præcedenti de quantitate Propositionis, consequens jam esset, proponere distributionem propositionis ratione materiæ in Finitam & Infinitam, sed quia pauca sunt, quæ de Infinito secundùm se considerata tradi possunt, & tamen peculiaris difficultas est, quomodo Finita & Infinita se ad invicem habeant ratione æquipollentiæ, ideo ipsarum doctrinam differemus ad tractationem de Consecutionibus & Æquipollentiis, Modalium cognitionem hac disputatione subjicientes.

2. Neque enim tractatio hæc de Modalibus cum Ramæis ridenda est, cùm enim veritas & falsitas alio modo in his, quàm in absolutis determinentur, alio modo etiam fiant oppositiones, ut ostendunt *Arist. 1. periherm. c. 3. & Matth. Flacius Log. Generalis c. 12. & Schegk. comm. 1. Prior. c. 2.* quis non necessariò illas Logicò cognoscendas esse videat?

3. *Propositio simplex* igitur *ratione qualitatis* est *vel Absoluta, vel Modalis.* Propositiones enim respondent quæstionibus. Quæritur autem non modò simpliciter, an sit, verùm etiam cum modo quodam, an possit esse vel non, an necessariò sit vel non. *Matth. Flac. loc. cit.*

4. *Absoluta est, cujus prædicatum cum subjecto simpliciter disponitur sine adjectione Modi.* Vocatur *Aristoteli* ὑπάρχουσα vel τὸ ὑπάρχον, Scholastici reddiderunt propositionem de Inesse.

5. *Modalis est, cujus partes inter se disponuntur cum aliquo modo, & hæc est quadruplex, vel ex modo necessario, vel impossibili, vel possibili, vel contingenti.*

6. *Ramus* autem *lib. 6. schol. Dialect. c. 3.* reprehendit Aristotelem de doctrina hac propositionum Modificatarum propterea, quòd innumerabiles sunt Modi ad significandum, quomodo categorema subjecto insit, ut, parentes colere sanctum est, suum cuique

que tribuere justum est, Socrates disputat sapienter, Alexander pugnat fortiter &c. quod etiam facit *Lud. Vives de causis corr. art.* aliique Ramistæ.

7. Sed enim, ut quid in hac re sentiendum sit, aperiatur, sciendum est primò; Modum, quo propositio potest dici Modificata latè interdum accipi quomodo definitur à P. *Hispano* adjacens rei determinatio, & sic Modus dicitur, quicquid quoquo modo propositionem vel ipsius partes determinat.

8. Secundò sciendum, quòd Modus, qui propositionem modalem propriè, & ut hîc consideratur, efficit, quinque requirat conditiones. 1. ut Modus non sit ipsum prædicatum propositionis. 2. ut non afficiat ipsum subjectum vel prædicatum in se, 3. ut determinet dispositionem terminorum inter se seu ipsam copulam. 4. ut ipsam non determinet in ratione ad intellectum. 5. ut ipsam non determinet in ratione ad rem ipsam enunciatam.

9. Defectu primæ conditionis in his propositionibus: parentes colere sanctum est; pro patria mori decorum est, *Sanctum & decorum* non sunt modi, quia sunt prædicata ipsa, sicut patet ex resolutione; Cultus parentum est sanctus, mors pro patria est decora. Defectu secundæ, dicendo, qui libenter studet, evadit doctus; Alexander pugnat fortiter; *libenter & fortiter* non sunt Modi, quia significant qualitatem subjecti vel prædicati tantùm, & in positis his exemplis etiam deficit tertia conditio. Quarti requisiti absentiâ, isti Modi, scitum est, auditum est, creditum est, opinabile est, Æschinem scortari, non sunt veri Modi, quia licèt determinent compositionem prædicati cum subjecto, tamen hoc non faciunt in se, sed quoad intellectum nostrum. Quinti absentiâ verum & falsum, ut, hominem esse animal est verum, non veras efficiunt Modales, ut *Pet. Hispanus & Psellus in synopsi organi l.* 1. *c.* 10. opinantur, quia non important limitationem compositionis subjecti & prædicati inter se, sed exprimunt habitudinem totius enunciationis ad rem enunciatam. Positas

ſtas autem conditiones Scholaſtici omnes videntur comprehendere, definientes *Modum* (propriè dictum) *quòd ſit determinatio compoſitionis Dicti, in quantum eſt compoſitio, exprimens ſpecialem habitudinem terminorum ad invicem.* Vide *Doct. Colon. 2. periherm. c. 3. A niſ. in not. in Log. Crell. l. 2. part. comm. c. 5. lit. A.*

10. Pleniùs definitionem Modi intelliges, ſi cognoveris, quid ſit illud, quod in propoſitione Modali appellatur Dictum. Propoſitio Modalis duas habet partes, nempe propoſitionem de Ineſſe, & appellatur Dictum, & Modum qui determinat compoſitionem partium Dicti inter ſe, ut Impoſſibile eſt hominem eſſe beſtiam, *hominem eſſe beſtiam*, eſt dictum, *impoſſibile* eſt Modus. *Tolet. 1. de interpret. c. 3. q. un. Fonſ. l. 3. inſtit. c. 9. Zaber. in tab. Log. p. 142.*

11. Ex dictis patet 1. quid *Ramo* aliiſque obtrectatoribus Ariſtotelis reſpondendum ſit, innumerum propoſitionum modalium numerum crepantibus. Omnes enim illi Modi, quos producunt vel producere poſſunt, præter quatuor illos aſſignatos *th.* 10. improprii ſunt, &, ut Scholaſtici vocant, inuſitati.

12. Patet 2. errare *Keck. l. 2. ſyſt. Log. c. 3.* verum, falſum, certum, opinatum, probabile ad reliquos quatuor Modos reducendos eſſe ſtatuens. Neque enim, quod neceſſarium eſt, id verum; quod impoſſibile, id falſum eſt, quando quidem verum & falſum in enunciatione ab ipſa re enunciata & conditionibus materialibus deſumuntur. Neceſſarium autem & contingens, prout hic ſumuntur, propoſitionis formam ſpectant. Neque etiam probabile & inopinatum ad contingens poſſunt reduci, cùm prohibeat hoc conditio tertia & quarta, *theſi* 13. poſita.

13. Patet 3. Modos quatuor poſitos eſſe ſufficientes, quod colligitur ex hoc, quòd Modus explicat reſpectum extremorum Dicti. At ſecundùm hunc reſpectum prædicatum vel dicitur ineſſe ſubjecto, vel

non

non ineſſe. Si illud, vel ita ineſt, ut non poſſit non ineſſe, & naſcitur hinc Modus *Neceſſe*. Vel ita ineſt, ut poſſit non ineſſe, ut in Modo *Contingens*. Si hoc, vel ita non ineſt, ut nunquam poſſit ineſſe, & hinc fit *Impoſſibile*, vel ita non ineſt, ut poſſit ineſſe, & hinc fit *Poſſibile*. *Toletus l. cit.*

14. Contingens & poſſibile *Boëtius* ſolo nomine differre docet, & multi unum eſſe dicunt, ſed licet utrumque & τὸ δυνατὸν & τὸ ἐνδεχόμενον mutabile ſit, tamen propriè ita diſcernuntur, ut poſſibile aliquid tunc dicatur, cùm non eſt, cùm eſſe poſſit. Contingens autem, cùm eſt, cùm non eſſe poſſit. Accedit deinde *Ariſtotelis* authoritas, qui hæc *cap.* 32. *de interpret.* ſemper diſtinxit.

15. Singula porrò hæc Modalium genera duabus formulis efferri poſſunt. Alterâ, ſi Modus ponatur adverbialiter, ut Socrates eſt neceſſariò homo, Socrates contingenter eſt doctus. Alterâ, ſi modus ſit nomen, ut poſſibile eſt mulum parere, impoſſibile eſt hominem eſſe lapidem. *Tiſelm. l.* 3. *conſid. Dialect. c.* 21. *Fonſ. l.* 3. *c.* 9.

16. *Keckerm. l citato* putat in propoſitione Modali nominaliter prolata eſſe aliquid ſubintelligendum, videlicet, hæc propoſitio, hæc affirmatio, vel tale quid, e. g. cùm dicitur: Electos ſeduci eſt impoſſibile: putat ſubaudiendum eſſe: Hæc propoſitio, quæ dicit electos ſeduci, eſt impoſſibilis. Sed fallitur, quia propoſitiones, in quibus tale quid ſubauditur, non ſunt Modales, ſed abſolutæ, quia in poſito exemplo & aliis ſimilibus τὸ Impoſſibile non habet rationem modi, ſed eſt ipſum prædicatum. *Fonſ. cap. cit.* Probo hoc ita: In propoſitione Modali nominali abjecto Modo cum ſuo verbo, & verbo infinitivi Modi mutato in indicativum remanet propoſitio abſoluta integra, quæ in Modali habebat locum Dicti, ut, Neceſſarium eſt hominem eſſe ſubſtantiam, abjice Modum cum ſuo verbo *Neceſſarium eſt*, & tranſmuta infinitivum in indicativum, & erit talis propoſitio abſoluta, Homo eſt ſubſtantia. Sed in poſito enunciato, Propoſitio hæc, Electos ſeduci eſt impoſſi-

impossibile, abjice Modum & verbum ejus, *est Impossibile*, & mutà infinitivum in indicativum, & remanebit hoc: *Propositio hæc, Electi seducuntur*, quod certè est oratio imperfecta, & nullo modo enunciatio.

19. Cæterùm quæris, quæ sit diversitas Modi considerandi, quando Logici propositionem de Inesse in Necessariam, Impossibilem & Contingentem dividunt, & quando hîc Modales per Necessarium, Impossibile, Contingens & Possibile diversificantur. Respondeo. Necessitas & Contingentia &c. in doctrina propositionum Absolutarum desumitur à conditionibus materialibus, seu à rebus, quæ enunciantur, in doctrina autem Modalium competunt enunciationibus in sua formalitate consideratis, & ratione dispositionis terminorum inter se, sive in reipsa ita sit, sive non. Unde hæc propositio, Petrus currit, ibi non est Necessaria, quia re ipsâ currere cum Petro necessariam connexionem non habet, hæc verò, Petrus necessariò currit, est Necessaria, vel ex Modo necessario, quia hîc ipsarum rerum enunciatarum, prout in se sunt, nulla habetur cura. Vide *Tol. & Arnis. l. cit.*

18. Observa tamen hîc propositionem Modalem esse quidem vel ex modo Necessario, vel Impossibili, vel Contingenti, vel Possibili, si dispositionem partium Dicti inter se spectes, omnem tamen esse Necessariam, vel Impossibilem, nullam Contingentem vel Possibilem, si compositionem ipsius Modi cum Dicto spectes, e. c. hæc, Contingens est hominem esse Grammaticum, est quidem ex Modo Contingenti, quia partes Dicti contingenter in se cohærent, sed tamen non est Contingens, sed Necessaria, quia Modus Contingens necessariò cum Dicto, *Hominem esse Grammaticum*, cohæret. Licèt enim Contingens sit, hominem esse Grammaticum, tamen hoc ipsum esse Contingens, est Necessarium, quemadmodum licèt homo sit corruptibilis, tamen hoc ipsum, nimirum hominem esse corruptibilem est incorruptibile. Vid. *Perer. l. 2. phys. c. 3.* Hæc, Possibile

bile est hominem esse lapidem, est quidem ex Modo Possibili, est tamen ipsa Impossibilis. Unde apparet aliud esse, dicere propositionem Modalem esse Necessariam, aliud esse ex Modo Necessario.

19. Restat adhuc explicanda ratio efficiendi Modalem negativam. Concludit autem *Arist.* 2. *peri herm. c.* 3. negationem esse addendam ipsi Modo, quod probat dupliciter 1. Quia Modus est in Modalibus instar copulæ, seu est ratio, secundùm quam copula conjungit prædicatum cum subjecto: Quemadmodum igitur in Absolutis enunciationibus ratio affirmandi vel negandi sit ratione copulæ, sic in Modalibus negatio fit per particulam negativam Modo appositam. Nihil autem interest, sive negatio ipsi Modo addatur, ut, Non Necessarium est hominem esse Christianum, sive verbo Modi, ut, Necessarium non est hominem esse Christianum. Quòd si verbo Dicti apponatur particula negativa, ut, possibile est hominem non ambulare, non fit negatio, sed affirmatio de Dicto negato, quam *Averroes* vocat affirmativam Infinitam, cui opponitur hæc negativa Infinita, non possibile est hominem non ambulare.

20. Secundò probat *Arist.* ita. De eodem affirmatio & negatio simul vera esse nequit. At si negativa Modalis efficeretur per negationem Dicti, contingeret, ut affirmatio & negatio de eodem simul vera esset. Hæc enim, Possibile est hominem ridere, Possibile est hominem non ridere, ambæ simul sunt veræ, quandoquidem quod est possibile potest esse & non esse.

21. Supersunt ultimò explicanda, quædam circa quantitatem Modalium. Quantitas in Modalibus potest à tribus desumi, primò à subjecto Dicti, & sic Modalis vel universalis est, vel particularis, vel indefinita, vel singularis eâdem ratione, sicut in propositionibus de Inesse. Secundò desumitur ab ipso Dicto toto, & sic omnis Modalis est singularis, licèt dicamus omne corpus necessariò est mobile, quia Dictum,

Dictum, *Omne corpus est mobile*, est enunciatio absoluta una & individua. Tertiò potest attendi quantitas Modalium ex Modo, & sic Modalis est, vel universalis, ut quæ est de necessario & Impossibili, vel particularis, ut quæ de Contingenti & Possibili. *Vide Doctor. Coloniens. l. cit. & Zabar. in Tabul. Log.*

22. Advertе tamen inter hæc talem differentiam, quòd signa in propositionibus de inesse significent quantitatem numeralem, h. e. an subjectum commune pro omnibus vel aliquibus tantùm individuis sumatur, Modi verò denotent quantitatem temporis. Etenim Necessarium habet vim adverbii Semper, Impossibile adverbii Nunquam, Contingens, Aliquando vel quodam tempore, Possibile Aliquando non, seu quodam tempore non.

23. *Keckermo* quantitatem ex subjecto Dicti æstimari præcipuè dicit, ex Modo secundario.

24. Sed respondeo. Quamvis quantitas, quæ ex subjecto Dicti æstimatur, sit simpliciter principalior illâ, quæ ex Modo, quia illa est quantitas multitudinis, hæc temporis, tamen in subjecta materia, h. e. in propositionibus Modalibus hæc est magis præcipua quàm illa, & sic statuunt plerique Aristotelis interpretes 1. quia quantitas, quæ sumitur à Modo, competit propositioni Modali per se, quantitas autem, quæ à subjecto Dicti deducitur competit ipsi per aliud, nim. propter ipsam absolutam enunciationem, ex qua constat. 2. quia oppositiones Modalium fiunt secundùm quantitatem Modi, & non secundùm quantitatem Dicti, quod vide apud *Matth. Flac. l. 4. Log. Gen. c. 13. & Arnis. l. cit. l. f.*

25 Quemadmodum verò in propositionibus de Inesse signa universalia fiunt particularia, & particularia universalia præpositâ negatione: sic Modi universales fiunt particulares, & particulares universales præpositâ particulâ negativâ. Itaque Non Necessarium & Non Impossibile sunt modi particulares, Non Contingens autem & Non Possibile universales; quemadmodum Non Omnis & Non Nullus sunt signa particularia, Non quidam autem & non aliquis non, universalia. *Fons. lib. 3. instit. c. 10.* DISP.

Disputatio VIII.

De Propositionibus Compositis.

1. Definivimus suprà *disp.* 4. ubi de simplici enunciato agebatur, propositionem quoque Compositam, propterea quòd hæc ad illius, & illa ad hujus definitionem multum conferre videbatur. Cùm autem hactenus doctrinam propositionis simplicis, quâ fieri potuit sufficientiâ determinaverimus, consequens est, ut jam Compositæ propositionis species videamus.

2. *Propositio composita vel Conditionalis est, vel Copulativa, vel Disjunctiva.*

3. Compositæ enim propositionis forma consistit in unione simplicium propositionum duarum vel plurium, quæ unio fit per aliquam conjunctionem Grammaticam. Sed enim conjunctio Grammatica, aut conjungit simplicium sententias, aut dividit. Si conjungit, aut ordine consecutionis unius ex altera hoc facit, ut videlicet posterior ex priore deducatur, & vocatur Conditionalis, ut: Si sol lucet, dies est; aut non habitâ ratione ejusmodi ordinis, & dicitur Copulativa, ut: Socrates fuit Philosophus & vir bonus. Si denique dividit sententias Disjunctiva nuncupatur, ut: Aut dies est, aut nox est. *Fonf. l.* 3. *Inſtit. c.* 14.

4. Ex quo etiam sequitur, propositionem Compositam esse affirmatam, non quando partes, hoc est propositiones simplices, ex quibus constat, sunt affirmatæ, sed quando conjunctio est affirmata; negatam esse non ex partibus negantibus, sed quando ipsi conjunctioni negatio præponitur. Quia affirmatio & negatio desumuntur ab ipsa forma, & connexione partium propositionis, seu à copula, per quam ipsa connexio fit, sed simplices enunciationes in Compositis habent locum materiæ, quod videas apud *Coll. Con. 1. de interp. c.* 4. *q.* 4. *art.* 5. Et certè potest esse affirmativa Compositia ex partibus omnibus negatis, ut: Si non est animal, non est homo, quia copula

Si est affirmata; & potest esse Composita negativa ex omnibus partibus affirmatis, ut: Non si est animal, homo est.

5. Ramistæ tribus assignatis compositarum enunciationum speciebus non contenti constituunt quartam, nimirum discretam. Sed respondemus hanc ipsorum discretam commodissimè referri posse ad copulativam, quod videris *thes.* 20 21. 22. *infrà.*

6. Conditionalis est, in qua ex uno simplici posita altera sequitur, ut: Si Petrus est homo, est animal. Unde etiam vocatur Hypothetica, quod idem est, ac si Latinè dicas, Suppositiva, quia hîc nihil affirmatur, vel negatur, nisi præsuppositâ aliquâ conditione, Vide *Tolet.* 1. *perih. c.* 3. *q.* 2. Græci vocant ἡνωμένον συνημμένον. Alii definiunt, quòd sit, cujus conjunctio est conditionalis.

7. *Partes* autem *Conditionalis sunt Antecedens & Consequens. Antecedens est illa propositio, ex qua significatur alia inferri, seu quæ statim post conjunctionem ponitur. Consequens* verò *dicitur illa, quæ significatur inferri ex altera,* Ut cùm dico; Si homo est, animal est, Animal est, si Homo est. In utraque propositione *Homo* est Antecedens, *Animal* est consequens. *Tiel. l.* 3. *Consid. Dial. c.* 20.

8. Cæterùm Scholastici *conditionalis propositionis* tres species, vel potiùs *gradus* constituunt, *conditionalem nimirum in specie sic dictam, rationalem & causalem.*

9. Ad veritatem Conditionalis affirmativæ sufficit, ut sit bona consequentia Consequentis ex Antecedente, licèt & Antecedens & Consequens ambo sint falsa, ut hæc: si lignum est homo, est animal, est vera, licèt partes sint falsæ, sicut contrà falsa est, quando non est vera consequentia inter partes, licèt ipsæ partes sint veræ, ut hæc: si David est rex, est Propheta, est falsa, licèt verum sit, Davidem & Prophetam & Regem fuisse. Negativam autem Conditionalem ne veram esse intelliges, quando ipsi opposita affirmativa est falsa, ut vera est hæc; Non si Petrus est

homo, est doctus, quia hujus opposita: Si Petrus est homo, est doctus, est falsa. Negativa tunc falsa est, quando ipsi opposita est vera, ut falsa est hæc: Non si Petrus est homo, est animal, quia huic opposita: Si Petrus est homo, est animal: est vera. Vide *Barth. ab Using. tract.* 1. *Comp. Log.*

10. *Rationalis est, cujus partes conjunctione rationali connectuntur.* Ad hujus veritatem præter bonam consequentiam, requiritur insuper utriusque partis veritas, ut ista est vera: Est leo, ergo est bestia: quia est bona illatio, & utraque pars vera; Ista autem falsa est: Lignum est homo, Igitur lignum est animal: quia licèt sit bona illatio, si lignum est homo, est animal, tamen partes non sunt veræ.

11. *Causalis est, cujus partes conjunguntur per connectionem causalem*, ut: Quia homo est rationalis, est risibilis; Socrates laborat, ut sanetur; Socrates ambulat post cœnam, ne infirmetur. Ad veritatem autem Causalis requiritur ultra bonam consequentiam & partium veritatem, etiam ut Antecedens sit causa reipsâ Consequentis. Unde hæc est falsa, quia homo est risibilis, est capax disciplinæ, quia, licèt vera sit consecutio, Si homo est risibilis, est disciplinæ capax, & partes quoque sint veræ, tamen risibilitas non est causa, cur homo sit disciplinæ capax.

12. Objicis autem contra hæc: Rationalis & causalis ponunt aliquam rem esse, ut pater, sed *Conditionalis nihil ponit in esse*, juxta regulam Scholasticorum, non enim statuo lapidem esse animal, quando dico, Si lapis est homo, est animal, sed tantùm unum ex altero consequi dico, neutram partem reverâ esse asserens. Ideo Rationalis propositio & Causalis non videntur esse Conditionales.

13. Respondeo, Quando loquimur de aliqua re sive definitionem ipsius, sive proprietatem aliquam ipsi attribuentes, tunc dicimus ea, quæ conveniunt ipsi, ut tali, non quæ sub ratione alia alicujus inferioris posse ei convenire. Sic in definitione animali

ea tantùm ponuntur, quæ pertinent ad naturam sen-
sitivam, non alia, quæ possunt convenire animali in
hac vel illa specie considerato, Vide *Ruv. l. 1. de Inter-
p. c. 4. q. 1.* Sic etiam Conditionali secundùm se
non convenit, ut aliquid certum ponat in esse, sed
tantùm convenit aliquibus gradibus sub se contentis,
nim. Rationali & Causali. *Barth. ab Usingen respondet*,
Conditionalem accipi dupliciter, vel communiter,
prout sub se comprehendit Causalem & Rationalem,
vel specialiter, prout contradistinguitur à Rationali
& Causali. Dicit illam sententiam Scholasticorum,
Conditionalis nihil ponit in esse; veram esse de condi-
tionali specialiter accepta.

14. Quod ad necessitatem vel contingentiam attinet, dicunt quidam omnem Conditionalem esse vel necessariam vel impossibilem. Nam omnis vera consequentia, inquiunt, est necessaria, omnisque falsa impossibilis.

15. Sed falsum hoc est. Quod enim in aliis enunciationibus evenit, ut non statim sint falsæ, si non sint necessariò veræ, quod eleganter vide apud *Scherb. in dissert. adversus Ramist. c. 3.* id etiam valet in Conditionalibus, præsertim cùm ipsa hoc ostendant exempla. Hæc enim: Si qua mater est, diligit filium, inter veras numeratur, & potest tamen interdum esse falsa. Hæc: Si Ulysses est facundus, non est formosus: est falsa, non tamen est impossibilis. *Fons. l. 3. Instit. c. 15.*

16. Antequam hinc abeamus, sciendum est, Propositiones Temporales, ut: Quando homo orat, exauditur: & Locales: Ubi duo vel tres congregati sunt in nomine Domini, ipse est in eorum medio: commodiùs posse reduci ad conditionalem, quàm ad copulativam, quod facit *Titel. l. 3. c. 20.* Prior enim idem videtur valere, atque hæc: Si homo orat, exauditur: posterior idem atque ista: Si duo sunt congregati &c. Quin etiam propositiones quædam similitudinis adverbium habentes non malè huc revocantur: Ista enim: sicut erga proximum se gerit homo, ita erga

ipsum se gerit Deus, sic potest resolvi: si homo erga proximum hoc vel illo modo se gerit, tali modo etiam erga ipsam se gerit Deus.

17. *Propositio copulativa est, cujus partes conjunctione copulativâ inter se disponuntur.* Græci vocant ἀξίωμα συμπεπλεγμένον.

18. Ad veritatem copulativæ affirmatæ requiritur omnium partium veritas, ut: Homo est risibilis, & capax disciplinæ. Ad falsitatem affirmatæ sufficit alterius partis falsitas, licèt altera sit vera, ut: Homo est risibilis & irrationalis. Ad veritatem negativæ sufficit alterius partis veritas, ut: Homo non & est animal & bestia, est vera, quia licèt hæc sit falsa, Homo non est animal, tamen hæc est vera, Homo non est bestia. Ad falsitatem negativæ requiritur utriusque partis falsitas, ut: Homo non & animal est & risibilis, quia utraque est falsa. Homo non est animal. Homo non est risibilis.

19. Necessaria Copulativa est, Homo est risibilis, & disciplinæ capax; Contingens, Homo est risibilis & doctus; Impossibilis, Homo est animal & lapis; Possibilis, Goliah vicit Davidem.

20. Ad Copulativam autem revocantur adversativæ enunciationes. Licèt enim hæc: Quamvis Ulysses sit facundus, non est tamen formosus, verbis discrepat ab ista: Ulysses est facundus, & non formosus, tamen sensus est idem. Atqui *Logicus*, ut pulchrè dicunt Scholastici, *parùm curat vocalem resonantiam, sed magis attendit mentalem correspondentiam, quæ innotescit per resolutionem.*

21. Sed audio Ramistas ita objicientes: Adversativæ propositiones, vel, ut ipsi loquuntur, disretæ, sunt segregativæ, h. e. in illis removentur à se invicem simplices propositiones, Copulativæ autem sunt congregativæ, h. e. in illis conjunguntur simplices, ex quibus constant, ut vel ipsa nomina ostendunt. Ergo non potest reduci ad alteram.

22. Sed videor illis ita respondere posse. Hæc propositio: Licèt Samuel sit Propheta, tamen non est Rex

Rex, sicut & aliæ similes, potest dupliciter resolvi in simplices 1. in duas affirmativas has: Samuel est Propheta, Samuel est Rex, si ex his affirmativis intelligatur constare adversativa posita, reſè dicitur Segregativa, quia posterior disponitur cum priori segregativè per sui negationem. 2. Potest resolvi in unam affirmativam: Samuel est Propheta, & in alteram negativam: Samuel non est Rex. Hæ duæ in discreta propositione, quam vocant, non segregantur. Segregatio enim fit per negationem. At una cum altera non disponitur negativè, sed affirmativè. Quòd si hæc: Samuel non est Rex, cum illa; Samuel est Propheta, disponeretur negativè, fieret talis propositio integra composita: Etsi Samuel est Propheta, non tamen non est Rex, quæ est certè alia à priori posita: Etsi Samuel est Propheta, tamen non est Rex.

23. *Propositio disjunctiva est, cujus conjunctio est disjunctiva*, Græci vocant ἀξίωμα διεζευγμένον.

24. Quid autem ad veritatem Disjunctivæ requiratur, non omnino convenit inter Logicos. Recentiores quidam, inter quos est & *Fons.* existimant, posse Disjunctivam esse veram, sive sit ex una tantùm, sive sit ex quibusdam, sive ex omnibus partibus veris, ita ut hæ veræ sint: Aut Socrates est homo, aut rationalis. Aut Plato deambulat, aut disputat.

25. Sed nos cum antiquioribus sentimus, ad veritatem Disjunctivæ requirentes unam partem veram, reliquas omnes falsas, ad falsitatem verò ejusdem vel omnes partes falsas, vel omnes veras. Vera igitur est hæc: Petrus vel est homo, vel bestia. Falsæ sunt hæ; Petrus vel homo est, vel sentit, quia utraque pars vera est. Petrus est lignum vel lapis, quia utraque pars falsa. Vide *Gell. l. 16. c. 8.* Probatur hoc; Illæ enunciationes sunt veræ, quæ congruunt cum rebus, quæ sub enunciationem cadunt, sicut *ex disp.* 3. patet, sed Disjunctivæ, quarum partes omnes vel plures sunt veræ, non consentiunt cum rebus ipsis, quod patet, quia res ipsæ sunt conjunctæ, ora-

tio verò est disjunctiva. At tunc est oratio vera, quando, quæ natura conjunxit in rebus, ea & nos conjungimus per artem, & quæ disjunxit eadem, ea & nos dividimus per artem, sicut *Scal.* bene inquit *l. 7. de cc. ll. c. 142.*

26. Ut a. statim valeas scire, quæ Disjunctiva sit vera vel falsa, habe tibi hoc: Illa vera est, cujus opposita est falsa, illa est falsa, cujus opposita est vera, ut: vera est hæc: Non est Petrus vel lignum vel lapis, quia falsa est hæc: Petrus est vel lignum vel lapis. Falsa est hæc: Non est Petrus vel homo, vel bestia, quia opposita: Petrus est homo vel bestia: est vera.

27. Ex hisce patet, propositiones distributivas Copulativas esse, non Disjunctivas, quia omnes earum partes sunt veræ, consentiunt enim cum toto distributo. Hæc enim: Animal est homo vel bestia, non differt ab hac: Animal est homo & bestia, Vide *Mocen. contemp. l. 2. part. 2. c. 2. & Ursin. disp. Log. 12.*

28. Et tantum de propositionibus Compositis. Ubi ultimò monendum, ne quem turbet, quòd, cùm, sicut in prioribus, ita & hîc propositionem quoad suum formale tantùm consideremus, de earum Veritate & Falsitate, Necessitate & Contingentia, quæ habent respectum ad conditiones materiæ, quædam diximus. Fecimus enim hoc propter meliorem commoditatem, ne scilicet infrà denuo de Compositis hisce propositionibus agere cogeremur.

COROLLARIA.

1. *An Individua sint species? N.*
2. *An Genus possit conservari in una specie? Aff.*
3. *An detur quarta figura Syllogismorum? N.*
4. *An Ramus ordinem figurarum rectè immutaverit? N.*

Dis-

Disputatio IX.

De Propoſitione Neceſſaria & Contingenti.

1. CONSIDERAVIMUS hactenus propoſitionem in generali & formali ſua ratione, ſicut Syllogiſmus in Prior. Analyt. formaliter tantùm conſideratur, reſtat, ut ipſam etiam cum reſpectu ad ipſam materiam, quæ ſub enunciationem cadit, determinemus.

2. *Hoc modo conſiderata propoſitio vel vera eſt, vel falſa.*

3. *Interpp. ex Ariſtot. t.* 33. duplicia faciunt accidentium genera: quædam dicuntur Simplicia, quæ ſola & per ſe ſubjectum adæquant, qualia ſunt hæc tria: Unum, Verum, Bonum reſpectu Entis, item viſibilitas reſpectu hominis: quædam dicuntur Conjuncta, quæ ſimul ſumta cum ſubjecto reciprocantur: Tale accidens eſt quando dico; Propoſitio vel vera eſt, vel falſa. Neque n. veritas ſola, neque falſitas ſola eſt affectio propoſitionis, ſed utraque disjunctim ſumta.

4. Per hanc veritatem & falſitatem *Ariſt. 1. Perihern. c.* 4. enunciationem definiviſſe ſtatuimus cum *Pſell. & Ruv. in eod. cap.* licèt quidam exiſtiment, ipſam per veritatem eſſe ab *Ariſt.* definitam tanquam per finem, qui in tota Logica propoſitus eſt. 1. quia omnis differentia ſpecifica, ſeu quod ſtat ipſius loco, debet rei eſſe proprium, & ipſam diſtinguere ab aliis. Sed veritas non eſt proprius propoſitionis, ſed communis totius Logicæ finis, & per conſequens hoc inſtrumentum ab illo non valet diſtinguere. 2. quia ſic definitio propoſitionis integra conveniret Syllogiſmo, tum ratione generis, tum ratione differentiæ.

5. *Urſinus diſp.* 12. *Log.* veritatem ſolam cujuſque propoſitionis propriam affectionem conſtituit,

falsam 2. propositionem ita esse propositionem dicit, sicut homo mortuus est homo. Tale est ipsius argumentum: Conveniens & decens dispositio simplicium conceptionum propositionem constituit, & ipsius est forma. Sed in propositione falsa non est conveniens simplicium conceptuum dispositio, igitur propositio falsa non est propositio.

6. Respondeo 1. Per convenientem dispositionem conceptionum simplicium *Ursinus* nihil aliud intelligit, quàm congruentiam dispositæ propositionis cum rerum inter se aptitudine. Sed hæc congruentia nihil aliud est quàm veritas, ut ipse etiam *th.* 35. habet. Ideóque in verbis ipsius videtur esse repugnantia, statuentis convenientem dispositionem simplicium esse formam propositionis, veritatem tamen esse ipsius affectionem. Ita enim veritatem facit simul & formam & affectionem propositionis. 2. Sæpius dictum & inculcatum est, propositionis formam esse abstractam ab hac vel illa materia, & consistere in dispositione terminorum tali, quâ aliquid affirmatur vel negatur, quod certè etiam est in propositione falsa, in qua semper aliquid cum aliquo disponitur vel affirmativè vel negativè. Dicimus igitur, falsam propositionem esse propositionem, & rectè tradi in Logicis. *Ursinus* autem tantùm videtur probare propositionem falsam non esse propositionem veram, utpote cujus forma consistit in convenienti dispositione terminorum, id quod & nos libenter concedimus, imò & asserimus.

7. Ad hoc comprobandum firmissimum petitur argumentum *ex c. 5. Prædic. de Subst.* ubi *Aristoteles* dicit, orationem eandem sine mutatione sui fieri veram & falsam, seu transferri de vera in falsam, ut hæc propositio: Petrus sedet, vera est, eo sedente, stante v. eodem, falsa. (vide *Mag. Colon. in hunc l. F. Suar. disp. 8. sect. 2.*) quod certè nisi falsa propositio esset propositio, minimè dici posset.

8. *Propositio*

8. *Propoſitio vera vel Neceſſaria eſt vel Contingens, Neceſſaria eſt, quæ ita eſt vera, ut nunquam poſſit eſſe falſa. Contingens eſt, quæ ita eſt vera, ut poſſit eſſe falſa.*

9. *Propoſitio falſa vel Impoſſibilis eſt, vel Poſſibilis. Impoſſibilis, quæ ita eſt falſa, ut nunquam poſſit eſſe vera. Poſſibilis, quæ ita eſt falſa, ut queat eſſe vera,*

10. Et hanc diſtributionem eſſe ex diverſa participatione veri vel falſi in propoſitione, patet ex definitionibus propoſitis. Sicut. n. Neceſſitas & Contingentia reſpiciunt veritatem, ita Impoſſibile & Poſſibile reſpiciunt falſitatem, inquit *Barth. ab Uſing. tract. 1. Compend. Log.*

11. Obſerva autem hîc aliud eſſe propoſitionem Neceſſariam vel Impoſſibilem, aliud propoſitionem ex materia Neceſſaria vel Impoſſibili.

12. Materia propoſitionis eſt reſpectus & habitudo rerum, quæ enunciantur ad ſe invicem. Hinc *jam propoſitio ex materia Neceſſaria eſt, cujus prædicatum non poteſt non convenire ſubjecto, ſeu cujus prædicatum cum ſubjecto perpetuam habet connexionem, & ab eo nunquam poteſt ſeparari. Propoſitio ex materia impoſſibili eſt, cujus prædicatum non poteſt convenire ſubjecto, h. e. cujus prædicatum perpetuò disjunctum eſt à ſubjecto*, dicitur hæc eſſe ex materia deſperata à Scholaſticis, itémque è remota.

13. Jam poteſt eſſe propoſitio Neceſſaria ex materia Impoſſibili, ut homo non eſt beſtia, & poteſt eſſe Impoſſibilis ex materia Neceſſaria, ut homo non eſt animal. Etenim omnis propoſitio affirmativa ex materia Neceſſaria eſt Neceſſaria, ut arbor eſt planta. Omnis negativa etiam ex materia remota & impoſſibili eſt Neceſſaria, ut, homo non eſt irrationalis. Impoſſibilis. v. eſt, quæ affirmat materiam impoſſibilem, ut, homo eſt beſtia, vel negat materiam neceſſariam, ut, homo non eſt animal.

14. Id autem, quod de propositione Necessaria diximus, putat *Fonsec. l. 3. Instit. c. 5.* non esse per omnia verum, quia propositio affirmativa ex materia Necessaria tunc non sit Necessaria, sed Contingens, quando prædicatum est angustius subjecto, ut animal est homo.

15. Sed enim ipsi *Fonseca* propositio ex materia Necessaria est, cujus prædicatum non potest non convenire subjecto. Atqui cùm dico: Animal est homo, hîc prædicatum, homo, potest non convenire subjecto, animali, quia species generi contingenter inest tanquam ipsius accidens. At accidens potest abesse præter rei corruptionem. Igitur propositio, in qua angustius prædicatur de latiori, nempe species de genere, non est ex materia Necessaria. Non enim inter genus & speciem est necessaria & essentialis connexio, quocunque concipiantur vel ponantur modo. Dicendo enim homo, animal, nondum possum dicere, quòd hæc habeant respectum essentialem inter se, quia sunt adhuc indifferentia ad utrumque oppositorum, h. e. ad Necessitatem vel Contingentiam. Ponendo animal loco prædicati, fit respectus inter illa necessarius; collocando ipsum loco subjecti, fit respectus inter illa contingens.

16. Porrò propositio ex materia Necessaria est quadruplex. 1. Necessitate absolutâ, quæ in solis est Divinis, ut Deus est omnipotens, Deus non mentiri potest. 2. Necessitate definitionis, qualis est, quando definitio, vel genus, vel differentia specifica prædicantur de aliqua re, ut: homo est animal rationale. 3. Necessitate Physicâ seu consequentiæ, quando res ex natura sua aliter esse non potest, ut: Sol illuminat, Homo est risibilis. 4. Necessitate consequentiæ seu hypotheseos, quando res quidem ex se potest aliter esse, tamen alio extrinsecò posito non potest aliter se habere. Sic non est Necessarium hominem esse Grammaticum, posito tamen, quòd didicerit Grammaticam, Necessarium est. De hisce & aliis vocabuli

Neces-

Necessarium modis & acceptionibus Vide *Ruv. 1. Post. c. 4. q. 1. n. 8. & in quæst. procem. q. 1. Crell. l. 2. part. comm. c. 6. Simplic. in exps. t. 15. l. 6. Phys. Iavell. 5. Metaph. q. 12. 12. Metaph. q. 30. & 5. Metaph. c. 5. Vers. 5. Metaph. q. 36. Metaph. q. 2. Coll. Conimbr. 1. de Interpr. c. 8. q. un. art. 5. Zab. 1. Post. t. 44. & 53. Arist. 1. eod. Tolet. de Dial. in comm. q. 1. Doctor Colen. in quæst. in 1. cap. Introd. Porph. Nicol. Armantem in dubiis, 2. præd. Porph. Piccol. grad. 2. Phil. Moral. c. 36. Suar. 2. disp. 19. s. 2. §. 8.*

17. Positi autem Necessitatis modi ita differunt, quòd Necessaria primo & secundo modo nullâ ratione possunt mutari, neque potentiâ Dei ordinariâ, neque absolutâ. Quia dicere Deum non esse omnipotentem, Deum posse mentiri, est contradictio, dicere hominem non esse animal ratione præditum, est contradictio. At quæ implicant contradictionem, non cadunt sub omnipotentiam Dei. Vide *Thom. 1. part. q. 25. art. 3. & 2. contra Gent. c. 25. Suar. disp. 30. s. 17. §. 10.* Quæ v. sunt Necessaria tertio modo, possunt immutari, non quidem per potentiam Dei ordinariam, hæc enim ad causas secundas naturales est temperata & accõmodata ex suæ voluntatis arbitrio, sed per absolutam & extraordinariam, quæ neque à se, neque ab alio ad aliquid est determinata, & secundùm quam valet Deus agere supra naturam. *Perer. l. 5. c. 5. & 6. Suarez disp. 30. s. 17. §. 35.* Quæ sunt Necessaria quarto modo, simpliciter sunt contingentia & possunt immutari, posita tamen certâ aliquâ conditione sunt Necessaria. Hoc enim, Homo credit, est Contingens, si tamen velit æternùm salvari, est Necessarium.

18. Atque hæc quæ dicta sunt, probè nota contra Calvinianos ex proprietatibus corporis physici, ut ex quantitate, localitate &c. Christi omnipræsentiam oppugnantes. Cum enim hæc accidentia sint corpori necessaria tantùm necessitate Physicâ, ab eo potenunt separari. Vide *Arnis. in Not. in Log. Crell. part. comm. l. 2. c. 16. lit. C.*

19. Hæc

19. Hæc de propositione Necessaria & Impossibili; sequitur Contingens. *Arist. a. 1. de Interp. c. 6. & 1. Post. c. 2. t. 182.* Contingentium tria genera innuit. Quædam sunt ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ, h. e. ut plurimùm. Quædam sunt ὁπότερ' ἔτυχεν, h. e. æqualiter contingentia, ut: Petrus ambulat. Quædam sunt ἀπὸ τύχης, h. e. fortuita seu rarò contingentia, ut: Qui fodit terram, invenit thesaurum, *Zab. in l. Arist. cit. & Pere. l. 9. c. 7.*

20. Possunt propositiones de hujusmodi rebus contingentibus fieri secundùm triplex tempus, vel secundùm præteritum, vel præsens, vel futurum. Sed n. quæris, quomodo propositiones, quæ sunt de præsenti sint Contingentes, cùm ipsæ res, quæ in præsenti sunt, sint Necessariæ, quod vult *Arist.* quando dicit. 1. *Periherm. c. 6.* τὸ μὲν ἐνδέχεσθαι, τὸ ὃν ὅταν ᾖ, καὶ τὸ μὴ ὂν μὴ εἶναι, ὅταν μὴ ᾖ, ἀνάγκη, h. e. Unumquodque quod est, quando est, necesse est esse, & unumquodque quod non est, quando non est, necesse est non esse.

21. Sciendum tamen *Arist.* in illo dicto loqui non de necessitate absoluta, sed de necessitate ex suppositione, sicut ipse eo in loco explicat. Unde propositiones de præterito, ut: Judith jugulavit Holofernem, & de præsenti, ut: Petrus currit, quando currit, sunt contingentes simpliciter, licèt fiat necessariæ secundùm quid, id est, ratione certi temporis, quia quando res factæ sunt vel fiant, non possunt non esse factæ, vel fieri.

22. Difficilior autem & obscurior est quæstio de propositionibus singularibus, quæ sunt de futuris contingentibus; an habeant determinatam veritatem vel falsitatem; Nam de universalibus vel particularibus, quæ sunt de re futura, nullum videtur dubium. Nam universales sunt determinatè falsæ, ut: Omnis homo ambulabit. Nullus homo ambulabit. Particulares sunt determinatè veræ, ut: Quidam homines

homines ambulabunt, Quidam homines non ambulabunt. *Tolet. Ruv. 1. perihem. c. 6. Diſſ. Conimbr. eod. c.*

23. *Doct. Colon. Doct. Lovanienſ. Tolet. c. cit. Sebegki in Comm. in l. Perihem. c. 7.* & alii ſentiunt totum disjunctum in propoſitionibus ſingularibus de futuro contingenti ex utraque contradictoria compoſitum eſſe determinatè verum, ut: Petrus diſputabit, vel non diſputabit; ſed utramque earum per ſe ſumptam eſſe indeterminatè veram vel falſam, quod eſt dicere, eſſe indifferentem ad veritatem aut falſitatem, & hæc ſententia etiam eſt *Ariſtotelis.*

24. Veràm oppoſitam ſentiunt *Scot. in 1. diſt. 3. q. 1. Holcoth. in 2. q. 2. 17. 7. Suar. diſp. 18. ſ. 10. § 10. & 11. Coll. Con. Raul. & Ruv. 1. de Interp. c. 6.* nempe hujuſmodi propoſitiones etiam unam ſolitariè ſumtam, veritatem vel falſitatem habere determinatam, non tantùm totum ex disjunctione duarum contradictoriarum conſtans, & hæc videtur eſſe vera ſententia.

25. Poteſta. aliquid determinatè verum vel falſum dici dupliciter, 1. id quod eſt neceſſariò verum vel falſum. 2. quod licèt in ſe ſimpliciter ſit contingens & indifferens ad veritatem vel falſitatem, tamen reſpectu certæ temporis differentiæ, in qua ſe agens liberum determinat ad agendum, non poteſt non eſſe verum vel falſum.

26. Ariſt. quando negat in propoſitionibus ſingularibus de futuro contingenti eſſe determinatam veritatem vel falſitatem, determinatè verum vel falſum eſſe accepit pro eo, quod eſt neceſſariò verum, vel falſum.

27. Sed hæc acceptio eſt juſto ſtrictior & ſpecialior. Non n. ſequitur: Hoc non eſt neceſſariò verum vel falſum. Ergo non eſt determinatè verum vel falſum. Quandoquidem propoſitiones de præterito & præſenti ſine ulla controverſia ſunt determinatè veræ vel falſæ, non tamen ſunt neceſſariò veræ vel falſæ. Atque hoc modo *Ariſtot.* illud eſſe determinatè verum vel falſum accepiſſe patet ex argumentis,

tis, quibus suam sententiam confirmare nisus est.

28. Statuimus 2. propositiones singulares de futuro contingenti determinatè veras hâc phrasi secundo modo acceptâ. Quia si Petrus hodie disputat, determinatè verum erit de præsenti enunciare, Petrus disputat: Ergo etiam fuit determinatè verum heri enunciare de futuro: Petrus disputabit. Probatur evidenter consequentia, quia veritas enunciationis de futuro mensuratur per significatum ejus, & determinata veritas per determinationem ejusdem significati: Sed disputatio præsens, habet nunc esse determinatum de præsenti: ergò habuit herì esse determinatum de futuro, & ideo enunciatio de futuro, quæ illud enunciabat, determinatam veritatem habuit; quam sicut heri habuit, certum est ante mille annos habuisse. Est argumentum *Ruv.* quem quæstionem hanc fusiùs explicantem vide cum *Suarez. loc. cit.*

Disputatio XI.

De Propositionibus Necessariis.

1. Propositio *Necessaria*, quam disputatione præcedenti definivimus, *est trium graduum*, κατὰ παντὸς, *De omni*; Καθ' αὑτὸ, *Per se*; *Catholica, seu Universaliter prima. Arist.* 1. *Post. c.* 4.

2. Et hi tres gradus ita sunt inter se adfecti, ut primus sine secundo & tertio, secundus sine tertio quidem, sed non sine primo, tertius autem neque sine primo, neque sine secundo consistere unquam possit. Etenim Universaliter primum, includit De omni & Per se. Per se includit De omni. De omni autem potest esse per se solitariè.

3. *Propositio De omni est, cujus prædicatum convenit subjecto omni & semper, Arist.* definitio est. Κατὰ παντὸς μὲν οὖν τοῦτο λέγω, ὃ ἂν ᾖ μὴ ἐπί τινος μόνον, τοῦτο δὲ μὴ, μήτε ποτὲ μόνον, ποτὲ δὲ μή. De omni illud dico, non quod est aliquando, aliquando verò non, neque quod interdum est, interdum verò non.

4. Propositionem autem De omni ex *Thom. lect. 9. com. in 1. prior. & Themist. c. 9. suæ Paraph.* constituunt duplicem, Prioristicam, & Posterioristicam. Posterioristica requirit duas conditiones, prima est subjecti universitas, h. e. ut nihil possit sumi sub subjecto, de quo non dicatur prædicatum. Secunda, temporis perpetuitas, ut prædicatum pro quavis temporis differentia conveniat subjecto. Prioristica est, quæ solam habet subjecti universitatem, sive hoc tantùm sit secundùm modum enunciandi, non attendendo veritatem vel falsitatem, ut, Omnis homo est bestia, sive sit ipsi rei enunciatæ congruenter, ut, Omnis homo sedet, si nunc omnem hominem sedere contingat. Nobis jam sermo est de Posterioristica.

5. Expressit autem hasce duas conditiones *Arist.* in ipsâ definitione. Et probat illarum necessitatem; quia, quando proferenti alicui propositionem tanquam De omni objicere volumus, quòd non sit De omni, nihil aliud objicere solemus, quàm quòd prædicatum illius vel cuidam sub Subjecto contento non convenit, vel non convenit omni tempore.

6. Hinc patet, propositiones singulares non esse de Omni: ut, Petrus est risibilis, Hic homo est animal: Est enim contradictio, propositionem, cujus subjectum est res singularis, esse De omni.

7. Observa tamen has prædicationes; Sol lucet, Mundus est, esse De omni, quia subjecta harum propositionum & similium sunt universalia. Universale enim est, quod est naturâ aptum inesse in pluribus. *Arist. 7. Metaph. t. 45.* Vel quod est aptum prædicari de pluribus 1. *Perih. c. 5.* ex quibus definitionibus apparet, universalis naturam non consistere in inesse in pluribus, vel prædicari de pluribus actu, sed potentiâ. *Vide Tolet. de univers. q. 2. Ruv. q. 2. Universale. num. 34.* Sed subjecta posita actum propositionum licèt non habeant actu plura sub se, de quibus prædicentur, si tamen haberent sub se plura, essent apta de illis prædicari. Et hæc universalitas dicitur virtualis, itémque

itémque negativa, & distinguitur à positiva, quando universale actu plura habet, in quibus inest. Vide *Coll. Con. 1 post. c. 4. q. 1. art. 1.*

8. *Ruvius 1 post. c. 4. q. 1. n. 15.* duplicia dicit esse singularia, quædam sunt, in quibus individualis differentia non distinguitur à specifica vel essentiali, quædam sunt in quibus certum est distingui individualem differentiam, & individualia prædicata à specificis, & de his individuis propositio Necessaria vel scientia non est, quia non sunt apti esse in pluribus. De illis verò, ut de Sole, Mundo, fiunt propositiones Universales seu De Omni, quia si darentur plures Soles, & plures Mundi, de illis omnia, quæ de Sole dicuntur essent vera, & ideo etiam talia singularia cadunt sub scientias contemplativas.

9. Dictæ autem Propositioni De omni opponitur propositio de Nullo, quando prædicatum nullo unquam subjecto convenit, ut: Homo non est bestia, Calor non est frigus.

10. *Propositio καθ' αὐτὸ est, cujus termini nexu essentiali conjunguntur, estque vel Primi, vel Secundi, vel Tertii, vel Quarti modi.*

11. *Primus modus est, cujus prædicatum est de quidditate seu definitione subjecti. Arist.* Καθ' αὐτὰ δὲ ὅσα ὑπάρχει ἐν τῷ τί ἐστιν, h. e. Ea appello per se (scilicet primo modo) quæ subjecto insunt in eo quod quid est. Vide *Zab. l. 1. de propos. Necess. c. 6. & in 1. post. c. 4. t. 30. Doctores Colonienses ibidem.*

12. Ad hunc modum pertinent tria prædicationum genera, aut quando integra definitio prædicatur, aut genus, aut differentia specifica, sive hæc ambo proxima sint, sive remota: Genus enim remotum & differentia remota, etiamsi in definitione speciei expressè non ponuntur, includuntur tamen in genere proximo, tanquam ipsius partes essentiales. *Zabar. 1. de propo. Necess. c. 9.*

13. *Mar. Flacius l. 3. Apod. c. 19.* etiam proprium generis de specie per se prædicari asserit, sed fallitur, quia propria affectio, sive generis ea sit, sive speciei, de nullius rei est essentia.

14. Se-

14. *Secundus modus per se est, cujus subjectum est de definitione prædicati.* Et huc pertinent prædicationes accidentis proprii de subjecto, ut, homo est risibili. Accidens enim essentialiter definitur per subjectum, quod vide *apud Zab. l. 4. de Meth. c. 14. Tolet. 1. post. c. 4. q. un.*

15. Hîc, quàm progrediamur ad reliquos modos, duo priùs videnda sunt. Primum est: An genus prædicetur de differentia per se, ut rationale est animal. *Fundanus 3. Met. q. 12. cum Nicol. Amant. 1. post. c. 4. in dub. & cum aliis* affirmat. Sed falsum hoc esse sic patet: Si genus prædicatur de differentia specifica per se, aut hoc fit in primo modo, aut in secundo: Nam quòd neque in tertio, neque in quarto hoc fieri possit, dubium nullum est. Sed non in primo modo, quia in illo prædicatum debet inesse subjecto, & in ipsius definitione poni. Sed ἡ διαφορὰ οὐ μετέχει τοῦ γένους, Differentia non est particeps generis. *Arist. 4 Top. c. 7.* Vide *Schegk. ibidem loco* 18. Non etiam in secundo modo, quia differentia non est de definitione generis. Angustius enim non est de definitione latioris. Quòd si prædicatio generis de differentia non est per se, multo minùs erit universaliter prima, ut volebat *Themist.* Vide *Iavell. 2. Meta. q. 2. Zabar. l. 2. de prop. Necess. c. 4. Suar. disp. 6. s. 9. §. 23.*

16. Secundum est: An propositiones primi modi, cujus termini sunt reciproci, si convertantur fiant secundi modi, & contrà, propositiones secundi modi per conversionem fiant primi: An hæc: Homo est rationalis, quæ est in primo modo, convertatur in hanc: Rationale est homo, quæ fit in secundo modo. Et hæc: Homo est risibilis, in secundo modo convertatur in hanc: Risibile est homo, in primo modo.

17. Sed nos cum *Trombeta in quæstion. M. tapl.* negamus absolutè ullam propositionem primi modi in propositionem secundi converti posse, aut secundi in primi. Est enim conditio propositionibus primi & secundi modi communis, ut sint naturales. At quando dico, Rationale est homo, Risibile est homo

homo, sunt propositiones innaturales, seu, ut alii vocant, inordinatæ & indirectæ, quia Homo, qui in positis propositionibus est prædicatum, non ineſt extra animam reipsâ in rationali aut risibili, sed potiùs subjecta hæc insunt prædicato, Homini. *Magist. Colonienses l. cit. Zab. 1. de propos. Necess. c. 6. Ruv. q. supra cit. n. 17.* Est enim propositio naturalis seu ordinata, quando prædicatur id de subjecto, quod extra animam ipsi ineſt, & quando prædicatum vel est æquale, vel latius subjecto. Innaturalis seu Inordinata est, cujus subjectum extra animam ineſt prædicato & est ipso latius. Vide *Averro. 7. Met. com. 59. & 4. Phys. com. 33. Themist. 1. Post. c. 38. Zab. de 4. fig. c. 12. 1. de prop. Necess. c. 6. 1. post. t. 137. Tolet. de Ind. q. 2. Titel. l. 1. consid. Dial. c. 25.* Unde non satis est ad propositiones primi vel secundi modi, ut prædicatum sit de subjecti, vel subjectum de prædicati definitione, sed requiritur etiam, ut hoc fiat modo naturali. Quapropter neque hæc propositio est per se, Animal est homo, quia subjectum latiùs patet prædicato.

18. *Zab. 2. de propos. Necess. c. 13.* illam prædictionem, Rationale est risibile, & similes per conversionem fieri primi modi, Risibile est rationale, asserit; sed nos respondemus, illas non esse per se primi vel secundi modi, sed potiùs quarti, sicut paulò pòst disputabitur.

19. Porrò prædicata, quæ in secundo modo dicendi per se locum habent, sunt duplicis generis, quædam simpliciter de subjectis prædicantur, ut Homo est risibilis, quædam non simpliciter, sed duo simul juncta opposita constituunt unum prædicatum per se, ut, Numerus vel est par, vel impar. Et hoc innuit *Arist. t. 21. c. prof.*

20. Hisce autem duobus modis per se opponitur unus per accidens, quando scilicet neque prædicatum est de definitione subjecti, neque subjectum de definitione prædicati, ut Homo est albus, Corvus est niger, quæ sunt accidentia communia. Vide *Arriaga in Not. in Log. Crell. part. prop. l. 1. c. 2. lit. B.*

21. Tertius

21. Tertius modus dicendi est, quando exsistentia prædicatur de re. Quòd si igitur illa res exsistat per se, erit modus dicendi per se, si exsistat per aliud, erit modus dicendi per accidens, huic modo per se oppositus. *Arist.* hunc modum sic describit: ἐπὶ δὲ μὴ καθ' ἑαυτὸ ὑπάρχει λέγεται ἄλλο τινός. Præterea (scilicet per se appello) quod non dicitur de ullo alio subjecto. Per se autem exsistunt substantiæ, quomodo hæc propositio est per se, Homo est. In alio autem subsistunt accidentia, quomodo hæc non est per se, Albus est, Justus est.

22. Exsistunt autem non tantùm per se substantiæ primæ, sed etiam secundæ. Aliud enim omnino est, dici de subjecto simpliciter, aliud dici de subjecto alio. *Arist.* non dixit, prædicata non debere in hoc modo dici de subjecto, sed dixit, non debere dici de subjecto alio. Jam verò substantia secunda dicitur quidem de subjecto scilicet de prima, sed non de subjecto alio, quod contingit quando prædicantur accidentia. Et hoc bene notarunt ex *Alberto Mag. Colon. & Tolet.*

23. Observa præterea, quòd in hisce propositionibus τὸ est, quod ponitur loco prædicati possit dupliciter interpretari. Vel enim intelligitur significare essentiam, vel exsistentiam. Quemadmodum etiam Ens interdum significat habens essentiam, interdum significat habens exsistentiam seu exsistens, quod vide apud *Colleg. Conimb. I. de Interp. c. 4. q. 2. art. 4. f. 2.* Si priori significatu accipiatur tunc hujusmodi propositiones, ut, Homo est, sunt in primo modo per se, si verò posteriori, sunt in hoc tertio.

24. Ramistæ hunc modum per se esse negant, & quidem propter hanc inprimis rationem. Omne per se est De omni. Illa propositio in qua exsistentia enunciatur, non est De omni, quia exsistentia potest separari ab essentia. Igitur nec est per se. Quin etiam ipse *Zab. 1. de prop. Necess. c. 11.* in hoc modo Necessitatem reperiri negat. Verba ipsius apponam. Tertius quidem modus nullam habet necessitatem: quoniam

quoniam enim alicujus rei de alia re prædicationem non habet, ideo an necessariò prædicetur nec ne, considerare non possumus: Sed in eo sola rei existentia enunciatur, quæ potest esse per se, & tamen non necessaria. Existit enim per se substantia individua, ut, hic homo, qui tamen, non ex necessitate existit, quoniam aliquando non fuit, & aliquando non erit.

25. Ad hoc ut respondeamus, sciendum est primò, essentiam dupliciter posse sumi, vel, ut est potentiâ, vel, ut est actu. Ut est potentiâ, non dicit, quòd sit aliquid reale extra suas causas, sed abstrahit & præscindit ab esse reali. Atque hâc ratione solet essentia quidditatis nomine significari, quia illa est, quæ per definitionem explicatur, vel aliquâ descriptione, quâ declaramus quidnam res sit, cujusque naturæ. Ut est actu importat hoc, quòd sit extra suas causas, actu in rerum natura. Vide *Suarez. disp.* 31. *s.* 3. Sciendum secundò existentiam nihil esse aliud, quàm id, quo res est in natura extra suas causas. Vide *Suarez. disp.* 31. *s.* 4. & *disp.* 31. *cit. s.* 6. §. 21. 22. 23.

26. Ex quibus patet errare Zabarellam 1. *de prop. Necess. c.* 4. quando statuit, existentiam non esse aliquid reale, sed nudam animæ intentionem, seu accidens intentionale. Etenim existentia est id, quo essentia creaturæ constituitur in actualitate essentiæ. *Suarez. disp. cit. s.* 2. §. 4. & *seqq.* At quomodo aliquid reale possit constitui per aliquid non reale? Vide *Suarez.* §. 2. *sect. cit.*

27. His præsuppositis respondeo ad assumptionem argumenti Ramistarum & dico, quando existentia prædicatur de Essentia seu de re aliqua, non prædicatur de ea, ut est potentiâ, & ut abstrahit ab esse reali, aliâs enim abstrahentium esset mendacium, quod est contra *Aristot.* 2. *Phys. c.* 2. quia dicere, res existit, nihil aliud est, quàm dicere, res habet existentiam. Atque jam essentia potentialis prout abstrahit ab Esse reali, non habet existentiam, aliâs enim non esse in potentia, non abstraheret, ego de illa verè dicere non possum, quòd existat. Ergo si hac ratione existentia

ſiſtentia prædicetur de re, prout ſcilicet eſt in potentia, verum eſt illam prædicationem non eſſe de omni. Quando verò exſiſtentia prædicatur de Eſſentia actuali, & prout reipſâ eſt, dico illam propoſitionem eſſe Neceſſariam, De omni, & Per ſe. Etenim quod convenit rei à priori, tanquam aliquod principium conſtitutivum, hoc convenit rei omni, ſemper & per ſe. Sed exſiſtentia eſt intrinſecum & formale principium Eſſentiæ realis, ſicut *theſi.* 25. dictum. Illuſtratur hoc ampliùs: Ens actu nihil aliud eſt, quàm exſiſtens. At quomodo tu ſepares exſiſtentiam ab exſiſtenti? Quemadmodum enim albedo eſt de Eſſentia albi, & ab ea ſeparari non poteſt; ita exſiſtentia eſt de eſſentia rei, ut actu eſt, ſeu, ut exſiſtit; atque ab ea non eſt ſeparabilis. Vide *Suarez diſp. cit. ſ. 4. cit. §. 6. & ſ. 16. §. 24.*

28. Quando autem *Zab.* dicit in tertio modo exſiſtentiam enunciari, quæ poſſit eſſe per ſe, nec tamen neceſſaria, aut ludit in vocabulo per ſe, aut implicat contradictionem. Si enim prædicatio exſiſtentiæ de re eſt per ſe, quod ille aſſerit, eſt quoque neceſſaria, quia quod eſt per ſe, omne eſt eſſentiale ipſi *Zabar. 1. de prop. Neceſſ. c. 7.* Atqui omne eſſentiale eſt neceſſarium. Atque hoc modo ſubſtantia individua exſiſtit per ſe, & neceſſariò, ſubſtantia, inquam, individua, quæ actu exſiſtit neceſſariò, quia exſiſtentia ab eſſe actu eſt inſeparabilis. Non tamen per ſe erit Propoſitio, in qua ſubſtantia ſingularis ſubjicitur, quia illa debet eſſe univerſalis.

29. Quod priora verba *Zab.* attinet, illa nihil concludunt. Etenim Genus & Species etiam non prædicantur de ſe invicem, ut res de re, neque eſt inter ea diſtinctio realis, ſicut *Zab* exſiſtimat, ſed rationis, quæ etiam eſt inter rem exſiſtentem & exſiſtentiam. Vide *Suar. diſp. 6 ſ. 9. per tot.* Quòd ſi igitur diſtinctio rationis non obſtat, quo minùs genus de ſpecie prædicetur neceſſariò, nec obſtabit, quo minùs hoc fiat in ipſa prædicatione exſiſtentiæ de re.

30. *Quartus modus eſt quando vel ſubjectum eſt cauſa exter-*

externa prædicati, vel prædicatum causa externa subjecti per se, finis scilicet vel efficiens. Aristot. hunc modum sic describit, ἓν τὸ ἄλλον τρόπον, ὃ ἀυτὸ ὑπάρχον ἐκάστῳ, καθ' ἀυτό. h. e. alio præterea modo, quod propter se inest unicuique, per se est.

31. Tria autem genera prædicationum hîc locum habent. Primum est, quando inter causam & effectum est reciprocatio, sic, ut posito alterutro ponatur alterum, ut: Eclipsis est interpositio terræ inter Solem & Lunam, & Interpositio terræ inter Solem & Lunam facit eclipsin; & in hoc genere potest tam causa prædicari de effectu, quàm effectus de causa, fitque per conversionem una propositio per se, ex alia. Secundum est, quando positâ causâ ponitur effectus, non tamen reciprocè, posito effectu ponitur causa. Et hîc tantùm prædicatur effectus de causa, ut, Jugulatus interiit, non etiam causa est de effectu, sic enim est prædicatio per accidens, ut: Qui interiit, jugulatus est. Tertium est, quando posito effectu, ponitur causa, non autem positâ causâ ponitur effectus, & hîc tantùm prædicatur causa remota de effectu, ut, qui sentit est animatus, non effectus de causa, qui est animatus, sentit. *Mar. Flac.* l. 3. *Apodict.* c. 20.

32. Hisce tribus generibus prædicandi per se, in quarto modo, opponuntur tria genera prædicandi per accidens. Primum est, quando neque causa de effectu per se prædicatur, ut: qui ædificat est Musicus: neque effectus de causa, ut: Musicus ædificat. Secundum, quando effectus quidem prædicatur de causa per accidens, ut, qui est animatus, sentit; è contrario tamen factâ conversione causa eadem de tali effectu prædicatur per se, ut: Qui sentit, est animatus. Prior est per se, posterior per accidens. Tertium, quando causa prædicatur de effectu per accidens, ut: Qui interiit jugulatus est, & tamen idem effectus de eadem causa dicitur per se, ut, Jugulatus interiit.

33. Cæterùm cùm in omni propositione per se debeat esse respectus causæ inter terminos, controversum est inter *Thom.* & *Zab.* utrùm omnis causa efficiens, a qua

a qua per se effectus provenit, in quarto modo hoc habeat locum?

34. *Zabarel. 1. de Prop. Necess. c. 10. & 1. post. t.* 34. statuit causam efficientem esse duplicem, unam, quæ est in eodem subjecto cum effectu, & hanc vocat internam, alteram, quæ ratione subjecti sejuncta est ab effectu, & hanc vocat externam. Porrò dicit in secundo modo subjectum esse causam efficientem prædicati internam, in quarto autem modo habere locum causam efficientem externam, ita ut hæc propositio, Rationale est risibile, sit in secundo modo, quia Rationale, quod est causa risibilis, est in eodem subjecto, nimirum in homine, in quo est risibile. Item hæc: Homo est risibilis, sit in secundo modo, non quia homo est Subjectum risibilis, sed quia in se continet causam, à qua fluit risibile. Hæc verò, jugulatus interiit, sit in quarto, quia causa & effectus sint sejuncta loco & subjecto.

35. Verùm nos cum *Thoma* propositiones secundi modi ideo dicimus esse per se, quia prædicatum dependet à subjecto, tanquam à materia, in qua inest, non tanquam ab efficiente interna. Ratio hæc est, quia multa accidentia per se prædicantur de subjecto in secundo modo, quorum tamen causa est extra subjectum, ut: Luna è diametro opposita Soli patitur eclipsin; Arboribus latifoliis Autumno defluunt folia. *Arnisæus in Notis in Log. Crell. l. 1. part. prop. c. 1. lit. a.* Quid, quòd calor de igne, frigus de aqua prædicatur in secundo modo, & tamen secundùm *Zabar.* hæ qualitates insunt elementis non à natura propria, sed à causa externa, nimirum à cœlo. *l. 1. de qual. elem. c. 9.* Secundò sic argumentor. In secundo modo subjectum est de essentiali definitione prædicati: Sed causa efficiens non est de essentiali definitione accidentalis proprii. Igitur causa efficiens accidentis non valet constituere modum secundum per se. Assumptio patet ex illis, quæ disputat *Zab. 4. de Met. c. 14.* Alia plura hac de quæstione, si volueris, lege apud *Arnisæum cit. loc.*

36. Hac igitur propositio, Homo est risibilis, est in secun-

secundo modo, quia risibile pendet ab homine, tanquam à materia, Hæc, Rationale est risibile, est in quarto modo, quia rationale est efficiens τὸ risibilis. Nec obstat, quòd rationale est in eodem subjecto, nimirum in homine, in quo est risibile, quia nos statuimus, omnem prædicationem efficientis, sive sit externa ratione loci, sive interna, de effectu, & effectûs de efficiente, esse in hoc quarto modo.

37. Diximus in unoquoque modo Per se esse aliquem respectum causæ & effectûs. Patet hoc ex inductione. In primo modo prædicatum vel habet locum materiæ, ut cùm prædicatur genus de specie, vel formæ, cùm differentia prædicatur, vel formæ Metaphysicæ, quam vocant aliàs formam totius, cùm prædicatur integra definitio. In secundo modo subjectum habet locum materiæ, ut dictum. In tertio prædicatum est forma subjecti. Est enim exsistentia ultima actualitas ipsius rei. Vide *Suar. disp. 31. s. 5. & 7.* In quarto disponitur efficiens vel finis. Vide *Arriag. l. cit. & Reg. disp. Log. l. 4. probl. 3.*

38. Inquis, si in omni modo est respectus causæ ad suum effectum, E. malè *Arist.* definivit quartum modum, quòd sit quando unus terminus propter se ineast alteri. Quæstio n. propter quid, quærit causam. Si igitur in omnibus modis habet locum aliqua causa, cur peculiariter attribuitur hoc huic modo?

39. *Ramus l. 9. Schol. Dial. c. 4.* propter hanc rationem hunc modum esse generalem & reliquos omnes in se complecti dicit: *Bald. & Petrel* quos citat *Reg.* omnia quatuor causarum genera, ad hûc modum pertinere voluerunt. Alii aliter respondent. Nos dicimus, ideo ab *Arist.* vocem propter in hac definitione esse positam, quia in quarto modo dicendi per se simpliciter disponitur causa, finis scilicet vel efficiens cum effectu; quod in aliis modis non fit. Genus enim non est materia ipsa, sed est ipsius symbolum, nec differentia est forma, sed ipsius symbolum; similiter subjectum non est materia proprii accidentis propriæ, quæ vocatur ex qua, sed in qua. Ipsa etiam exsistentia rei

rei exsistentis non est propriè & in rigore causa formalis, quod videris apud Suar. *disp. cit.* 31. *s.* 10. §. 2.

46. Postremò sufficientiam horum quatuor modorum aliter *Zab. l.* 1. *de prop. Necess. c.* 4. aliter *Dott. Colon.* aliter *Gerh. Harterwiens. s.* 1. *post.* 4. aliter alii tradunt. Sed nos relictis illis, vel tanquam omnino falsis, vel saltem parùm accuratis, ipsam sic proponimus. Quando inter terminos propositionis est respectus essentialis, & unus est causa alterius, tunc vel est causa externa, vel interna. Si illud, fit modus quartus. Si hoc, tunc illi termini vel sumuntur abstractivè, ab esse reali, vel prout actu exsistunt. Si illud, vel prædicatum est essentiale subjecto & fit modus primus; vel subjectum est essentiale prædicato, & fit modus secundus. Si hoc, tunc exsistentia prædicatur de ipsa re exsistenti, ut in modo tertio.

41. *Propositio Catholica seu universaliter prima est, ejus prædicatum inest omni subjecto, & per se, & quatenus ipsum.* Græca verba *Arist.* quibus ipsam ex suo prædicato, quod καθόλου appellat, definit, sunt: Καθόλου λέγω, ὁ ἂν τῷ παντὸς τὸ ὑπάρχειν, ᾗ καθ' αὑτὸ, ᾗ αὐτό.

42. Debet igitur propositio Catholica, primò esse de omni, secundò Per se, tertiò debet prædicatum convenire subjecto, quatenus ipsum.

43. Ubi notat *Zab. 2. de prop. Necess. c.* 2. non ita se habere per se ad καθόλου ὡρισμένον, sicut se habet De omni Per se, quia De omni habeat se ad Per se, sicut genus ad speciem. Habere enim essentialè terminorum respectum, & habere accidentalem sunt differentiæ, ibus propositio, quæ est De omni, determinatur ad species. Illa enim, quæ constat ex terminis essentem respectum habentibus, dicitur Per se, cujus em termini sunt accidentales, dicitur per accidens. conditio per se ad καθόλου ὡρισμένον non refertur quam genus ad speciem, sed ut idem differens per ia & minùs perfectum, purum & non purum.

44. Vult igitur *Zab.* in secundo gradu Per se esse id adhuc contingentiæ, à qua ipsum omnino li-

berat & quasi expurgat gradus tertius. Genus enim prædicatur de specie per se & necessariò, sed non summè necessariò, quia illud est necessarium, sine quo aliquid esse nequit. Jam verò species non quidem potest esse sine genere, genus tamen potest esse sine specie. Ut igitur summa sit necessitas in propositione, requiritur, ut illa necessitas sit mutua & reciproca, h.e. ut nec prædicatum sine subjecto, nec subjectum sine prædicato esse possit.

45. Fit autem hoc, quando prædicatum convenit subjecto, quatenus ipsum. Ubi nota, vocabulum *Quatenus* accipi tripliciter. 1. Latè & significat illud, cui aliquid attribuitur, accipi secundùm rationem formalem, licèt illud quod attribuitur, non conveniat ipsi secundùm talem rationem, sed accidentaliter, ut Homo, in quantum homo, est albus. Sensus enim est: Illud, quod est homo, est album. 2. Strictiùs, & significat, prædicatum convenire subjecto, secundùm principium internum & essentiale ipsi subjecto, excludens quicquid ipsi competit per rationem externam & hoc modo accipitur hoc vocabulum *Quatenus* in hac propositione: Homo, quatenus homo, est animal, quia ratio seu causa, propter quam animal inest homini, est interna causa seu de essentia hominis, nimirum anima sentiens. Secundùm hanc acceptionem hæc: Homo, quatenus homo, est albus, est falsa, quia causa propter quam homo est albus, non est de essentia seu definitione hominis. 3. Strictissimè, & significat principium, propter quod prædicatum attribuitur subjecto, non solùm constituere essentiam subjecti, sed etiam facere essentiam ipsi esse propriam, seu eandem esse utriusque termini rationem, & sic in hac propositione sumitur: Homo, quatenus homo, est risibilis, quia eadem est causa, cur homo sit homo, & cur sit risibilis, nimirum anima rationalis. In hoc autem sensu illa: Homo, quatenus homo, est animal, est falsa, quia licèt ratio, secundùm quam homo est animal, sit de essentia hominis, non tamen facit, ut homo sit homo, quia anima sensitiva in homine est ratio, cur

mo sit animal; non tamen est ratio, cur sit homo, quia non per sensitivam, sed per rationalem animam est homo. Vide *Scotum* 4. *Metaph. t.* 1. *Anton. Andr.* 1. *Met. q* 1. *Zab.* 2. *de prop. Necess. c* 8. *Arnis. in not. in Log. Crell. part. p op. l.* 1. *c.* 2 *cit.* In præsenti igitur negotio τὸ *Quatenus* tertio modo & significatu debet accipi, per quod propositiones tertii hujus gradûs constituuntur.

46. Sed & aliis verbis *Arist.* ultimum hunc Necessariarum propositionum gradum definit, dicens: Καθόλου ὑπάρχει τότε, ὅταν ἐπὶ τοῦ τυχόντος καὶ πρώτου δείκνυται, hoc est, Universale prædicatum est, quando de quovis & primo demonstratur.

47. Ubi per vocem *primo* idem significatur, quod per *Quatenus*. Debet enim prædicatum subjecto tali inesse, quod sit primum, e. g. hæc propositio, corpus naturale est mobile, est universaliter prima, quia mobile inest corpori primò & immediatè, hæc verò, Animal est mobile, non est summè necessaria, quia mobilitas inest homini mediante corpore naturali. Non enim mobile est, quatenus est animal, sed quatenus participat naturam corporis.

48. Hujus etiam gradûs natura, quam explicavimus, ex ipsa appellatione fit manifesta, quâ dicitur Καθόλου πρώτον, seu universaliter primum. Καθόλου prædicatum respicit, & denotat debere ipsum totum universaliter inesse in subjecto & ab eo totum comprehendi: πρώτον subjectum respicit, ut diximus, & requirit, ut illud sit primum respectu prædicati.

49. Sed, inquis, non solùm in propositione, quæ est universaliter prima, est prædicatum Καθόλου seu universaliter sumtum, sed etiam in aliis, quæ non sunt summè necessariæ, ut: Homo est animal, quia tota natura animalis est in homine.

50. R. Esse prædicatum in aliquo subjecto totum seu universaliter potest dupliciter accipi, primò intensivè, seu ratione essentiæ, & sic animal totum inest homini, & sic quodvis prædicatũ superius inest inferiori. Secundò extẽsivè seu ratione latitudinis, ut hîc accipitur, & sic animal non inest totum seu universaliter

in homine, quia animal non totum comprehenditur ab ipso, ita, ut extra ipsum non sit. Quemadmodum n. suprà dicebamus, aliud esse subjectum esse universale, aliud subjectum accipi universaliter, &, ut sit propositio universalis, necesse esse, ut subjectum non tantùm sit universale, sed universaliter etiam accipiatur: ita etiam hîc dicimus, aliud esse prædicatum universale, aliud prædicatum universaliter accipi. In propositionibus, in quibus prædicatur latius de angustiori, seu superius de inferiori, prædicatum quidem universale est, sed non universaliter accipitur. Ut autem propositio sit universaliter prima, requiritur, ut prædicatum non solùm sit universale, sed etiam universaliter accipiatur.

51. Ex dictis patet, aliquas propositiones primi modi per se non esse universaliter primas, ut in quibus genus prædicatur de specie, aliquas autem esse universaliter primas, ut, in quibus vel differentia, vel tota definitio prædicatur de specie. In secundo modo omnes sunt universaliter primæ, quia in illis reciprocatur prædicatum cum subjecto. In tertio distinguo. Existentia prædicatur vel de substantia generaliſſimè sumta, ut substantia est, & tunc talis propositio est universaliter prima, vel prædicatur de substantia aliqua speciali, ut arbor est, & sic non est, quia hoc modo τὸ *est* latiùs patet quàm arbor, vel alia aliqua substantia. In quarto modo quædam sunt summè necessaria, quædam non, quod facilè videbitur *ex thes.* 31.

Disputatio XI.

Quæ est contra tres Aureas Ramistarum Leges.

1. TRium Necessariarum propositionum gradum naturam definitionibus suis *præced. disp.* explicavimus, illos *Arist.* tradidit in hoc imprimis ut sint materia Syllogismi Demonstrativi: Ramista autem alium usum ipsis affingendo, regulas illas constit

constituunt atque leges, secundùm quas artes atque scientiæ, earundémque præcepta debeant constitui & determinari: Unde ipsas magnificis admodum insigniunt titulis, quòd sint *leges* artium *honorariæ, aureæ*. Hanc Ramistarum opinionem hâc disputatione examinabimus, ipsorúmque argumenta, quibus hanc rem comprobare nituntur, solvemus, quantum quidem instituti nostri ratio patitur.

2. Legem καθ' παντὸς dicunt hoc velle, ut omnia artium præcepta sint, 1. affirmativa, 2. vera, & ita vera, ut prædicata conveniant omnibus sub subjecto contentis, semper. Idcirco hanc vocant legem Veritatis.

3. Lex καθ' αὑτὸ, quam aliàs vocant legem Justitiæ, jubet duo: 1. ut partes, Subjectum & Prædicatum, præceptorum in artibus habeant inter se essentialem nexum. 2. ut præcepta illi arti, in qua docentur, sint homogenea, ne scilicet aliquid ἀγεωμέτρητον in Geometricis doceatur, ne quod pertinet ad Logicam, in Physicis doceatur, &c.

4. Lex καθόλου ὅτου, quam etiam vocant legem Sapientiæ, vult, 1. ut inter partes in præceptis artium reciprocatio sit, ne subjectum latiùs pateat prædicato, vel hoc illo. 2. ut generaliter generalia, specialiter specialia tradantur, neque inanes tautologiæ committantur.

5. Hanc suam sententiam probant ita: Libertas Philosophica concedit ex superfluenti, nova penitus vocabula fingere. Multo igitur magis etiam novam significationem atque usum eidem vocabulo rerento affingere & commoditate suadente introducere in Latium licebit. Si enim hoc peccatum est, peccatum quoque fuerit, cùm ab aliis, tum ab omnibus priscis Romanis, qui uni voci, præter nativam & insitam significationem infinitas peregrinas affinxerunt.

6. Respondeo. Quid, si hoc concedamus? Anne igitur Ramo etiam inde licuit illis tribus Necessariarum propositionum gradibus, hunc usum novo ausu

imponere, ut sint leges, secundùm quas præcepta artium sunt conformanda? Imò verò non licuit. Quid ita? Quia quod Ramus hîc fecit est supervacaneum, 2. est præter ipsorum graduum naturam. 3. est contra ipsarum rerum naturam.

7. Supervacaneum est, 1. quia homogenea tantùm in disciplinis esse docenda, habemus in Contemplativis ex Subjecto, id quod docet *Arist. 1. Post. c. 7. t. 56. & sqq. Zab. ibid. & de tribus Præcogn. c. 4.* in Practicis ex fine, *Zab. 1. de nat. Log. c. 15.* Quæ n in scientiis sub subjecto non continentur aliquo modo illa sunt heterogenea, & exulabunt è tali scientia. Quæ verò μηδὲν μέρος ἐμβάλλει ad finem artium, sunt in illis heterogenea, atque ex illis eradicanda. Igitur non opus habemus lege tuâ καθ' αὐτὸ, Rame, qui nos hæc doceat. Quid? quòd lex Justitiæ hæc non potest docere, quæ sint homogenea, vel heterogenea in disciplinis, ut maximè dicat quòd homogenea tantùm in illis sint tradenda? 3. Generalia esse proponenda generaliter & specialia specialiter, *jubet doctrina methodi. Zab. 1. de meth. c. 12.* Actum igitur agis, lex Sapientiæ, si tu hoc cupis nos edocere.

8. Præter naturam istorum graduum est, quia illi docent, quomodo partes necessariarum propositionum debeant esse inter se affectæ, nulla in illorum definitionibus fit mentio, quomodo propositiones integræ ad totam aliquam disciplinam habere se debeant. Hæc enim propositio: Substantia est ens per se subsistens, est Homogenea seu per se, & Catholice seu universaliter prima, sive in Mathematicis, sive in Physicis, sive in Logicis, vel Metaphysicis ponatur. Ubique enim partes inter se essentiales habet reciprocas. Habere autem partes inter se essentiales, est definitio axiomatis homogenei, quod vocatur Καθ' ὅλου. Vide *Arnisæ. in Notis in Log. Crell. part. prior. lib. 1. c. 2. lit. a.*

9. Contra naturam ipsarum rerum est, quia res quæ sub cognitionem nostram cadunt, non omnes sunt necessariæ, sed quædam sunt contingentes, quæ

habe-

habet *Aristot. les 6. Ethicor. cap.* 3. At illi tres gradus sunt necessitatis, unde etiam à Ramo necessariis axiomatibus assignantur. Quomodo igitur hi gradus poterunt esse mensura seu regula præceptorum in scientiis, quæ sunt de rebus hujusmodi contingentibus, quæ non habent necessitatem, in Ethicis, Politicis, Grammaticis, Medicina, & in universis habitibus Practicis? Sanè mensura & mensurarum debent esse ejusdem generis, id est, ejusdem qualitatis. *Piccr.* 12. *Phys. c.* 2 & 3. *Favellus* 10. *Metaph.* 12. *Suar. disp.* 50. *s.* 10 § 5. Vide *Arnsl. cit.*

10. Ex his, quæ diximus fit, quòd nullus artifex earum legum in constitutione artium exactam potuerit observare rationem, neque ipse Aristoteles, neque alii eum sequuti, imò nec ipse Ramus; unde etiam consequens est, neminem eas assequi posse. Quod ergo præscriptum illud est, quod ne, si velis quidem, adhibere queas? Vide *Clariss. And. Libav. in Not. in Dial. Ram. ferè init.*

11. Sed hîc regerunt quidam, non esse absurdum, præscribere aliquid secundùm ideam & rationem perfectissimam, & prout est in essentia sua, licèt illud non possit viribus nostris parari & acquiri. Ita n. Aristoteles descripsit & definivit summum bonum; ita Cicero definivit oratorem, licèt nec illud, nec hic fuerit unquam in rerum natura, nec futurus etiam sit, prout ab ipsis describitur.

12. Sed respondeo, esse diversam rationem. Quòd enim summum bonum in eo gradu, quo depingitur ab Arist. & orator in ea perfectione, quam ipsi attribuit Cicero, non exsistunt in rerum natura, non inde venit, quasi hoc sit contra naturam summi boni, aut ipsius oratoriæ, aut contra naturam nostram, sed potiùs est eximiæ cujusdam naturæ nostræ. Esse enim participem summi boni, & oratoriæ in tanta excellentia, tantum abest, ut naturam nostram destruat, ut potiùs ipsam perficiat; sed in artibus non posse observari præscriptas illas Rami leges non tam est à tenuitate nostræ naturæ, quàm exinde, quòd hoc est contra naturam

& conditionem ipsarum rerum. Habere enim hominem summum bonum in summa excellentia non est contradictio, at res contingentes esse necessarias est contradictio.

13. Regerunt alii, in omnibus artibus etiam illis, quæ res contingentes tractant, definitiones & distributiones esse necessarias. In Logicis necessarium esse, Genus id esse, cui species subjicitur. In Ethicis necessarium esse, virtutem esse habitum consistentem in mediocritate &c. In Rhetoricis, Tropum esse, quando verbum à nativa significatione transmutatur in aliam.

14. Respondeo: Non negamus in omnibus disciplinis plurima dari præcepta, imprimis definitiones, quæ maximè sunt necessaria, negamus tamen omnia esse talia. Non enim essentiæ rerum tantùm suis definitionibus explicantur, sed etiam proprietates & effectus rerum & alia in disciplinis traduntur. Ipse *Arist.* 1. *Post.* t. 182. earum Propositionum, quæ ut plurimùm veræ sunt, demonstrationem & scientiam esse docet. In 1. *Eth.* c. 3. queritur doctrinæ Ethicæ magnam esse πλάνην & contingentiam. Docent Physici, Octimestrem fœtum non esse vitalem. Hominem habere quinque digitos. In Medicina, Aphorismi Hippocratis pro oraculis habentur, at satìs est, judicio etiam Galeni, si veri sint ut plurimùm. Præterea præcepta illa: Uterum ferentibus sanguis non est mittendus: Non est purgandum ante concoctionem; oculo prudentiæ intuere. In talibus enim artibus interdum propter aliquid urgens ab arte recedere, summa ars est. Aspice Politica: Fœmina est propter metum φιλαντικωτέρα, Vir autem ἀμυντικώτερος δι' ἀνδρείαν. Taceo Grammaticas Regulas, in quibus nihil frequentius est, quàm exceptiones à datis regulis. An verò tu tolles posita hæc præcepta & alia innumera ex scientiis? Dices non esse vera præcepta? Imò verò non dices, nec tolles, quia faciunt partim ad cognitionē subjecti, partim ad acquisitionem finis in practicis. Vide *acutiss. Scherb. in dissert. advers. Ramist.* c. 3.

15. Sed

15. Sed agemus ſpecialiùs, τὸ κατὰ παντὸς vocant legem & regulam veritatis. Ergò quod non eſt κατὰ παντὸς non eſt verum. Nihil enim verum eſt, niſi quod conſentit cum lege veritatis. Contradicis tibi Rame. Contingens axioma veritatem quoque habere confiteris ipſe, dum *l.* 2. *c.* 3. *Dial.* verum axioma diſpeſcis in neceſſarium & contingens. Deinde in propoſitiones particulares & ſingulares cadit veritas, non tamen τὸ κατὰ παντὸς.

16. Secundò dicunt jubere ut omnia præcepta ſint affirmativa. Atqui præcepta illa Decalogi: Non occides: Non mœchaberis, ſunt negativa. In ſcientiis practicis illa præcepta, queîs aliquid omittere jubemur, negativa ſunt. Quin & res ſumma & perfectiſſima, ut DEUS, & imperfectiſſima, ut materia prima, rectiùs & meliùs negatione definiuntur, quàm affirmatione, removendo ab illo omnes imperfectiones, ab hac omnes perfectiones. *Pererius l.* 5. *c.* 11. & *Toletus in explic. prædic. ſubſt.*

17. Tertiò dicunt jubere, ut in præceptis artium prædicatum conveniat omni ſubjecto & ſemper. At falſum hoc eſſe, patet ex exemplis theſ. 14. poſitis. Et quot in hac Grammaticorum Regula, In A deſinentia ſunt generis fœminini, ut alias taceamus, ſunt exceptiones?

18. Sed rimam, qua elabantur Ramiſtæ, invenere. Dicunt exceptiones ſimul cum regula ſumtas facere ipſam κατὰ παντὸς. Si qua regula generalis, inquit Ramus, anomaliam patitur, animalia addita regulæ κατὰ παντὸς explebit. *l.* 9. *Schol. Dial. cap.* 4.

19. Verùm id ipſum ridiculum eſt, ut perhibet *Amiſ. l. cit.* una enim inſtantia, unum ſingulare infringit totum univerſale. Quòd ſi regula admittat exceptionem, jam non eſt univerſalis, quia inſtantiam dedit exceptio. Et quid quæſo differt univerſale, quod habet exceptionem à particulari? Dicere enim: omnes aulici ſunt divites, exceptis pauperibus, idem eſt ac ſi dicas, quidam aulici ſunt divites. Dicere, omnia deſinentia in A ſunt generis fœminini,

præter illa, quæ sunt generis masculini, idem est ac si dicas; Quædam nomina desinentia in A sunt generis fœminini. Insignis autem error est cujusdam Ramistæ, qui universale præceptum facit, quod per se & ubique verum est, sive particulari, sive generali propositione enuncietur. 2. Tanta sæpe est imbecillitas regulæ, tantúsque exceptionum numerus, ut omnes simul recenseri nequeant.

20. Ut omnis effugiendi occasio præripiatur, ponamus hanc regulam Grammaticam: In A desinentia fœminina sunt, ponamus exceptiones, Græca in Ta, ut Poëta, Cometa, &c. sunt Generis Masculini, Græca in Ma sunt generis Neutr. ut Poëma, Noëma, &c. Jam quæro an illud præceptum simpliciter sine suis exceptionibus sumtum sit καθ' αὐτὸ, An verò totum aggregatum ex priori illa regula & exceptionibus positis? Illud nemo dixerit: Neq; etiam hoc, quia omne καθ' αὐτὸ est una propositio, sed posita regula cum suis exceptionibus, non est una propositio, sed plures, quia ubi sunt plura & diversa subjecta & prædicata, ibi plures sunt propositiones. Atqui plura ibi sunt & diversa subjecta & prædicata. In regula enim hoc est subjectum: In A desinentia; in exceptionibus hæc: Græca in Ta: Græca in Ma. Prædicata sunt, in regula, esse generis fœminini, in una exceptione, esse generis masculini, in altera, esse generis neutrius, quæ certè sunt diversa, imò disparata subjecta & prædicata.

21. Sed pergemus: Καθ' ἑαυτὸ vocant legem Justitiæ, item legem regendorum artium finium, propterea, quòd fines & limites artium distinguat, unicuique propria sua & peculiaria adjudicans præcepta. At cur non etiam Καθόλου θεωρητὸν vocant Justitiæ legem? Facerent hoc eodem, imò majore jure, quia ipsum distribuit in artibus subsellia suis præceptis, præponens hoc illi, hoc est, universale particulari.

22. Καθόλου θεωρητὸν appellant legem Sapientiæ, quasi stultæ sint hæ propositiones; Sapientia est habitus

bitus animi: Unus homo Medicus multis æquandus honore est, quia non retromeant.

23. Hos leges καθ' ἀυτὸ & Καθόλυ πρῶτον dicunt postulare, ut præcepta artium constent ex terminis essentialibus & reciprocis. Sed cùm non omnia præcepta habeant τὸ καθ' ἀυτὸ & πρῶτον, sicut ex præcedentibus patet, multo minùs quadrabunt ad hos gradus exquisitiores & magis necessarios.

Disputatio XII.

De Oppositione, Æquipollentia & Conversione Propositionum.

1. Hactenus actum est de propositionibus, quatenus unaquæque per se solitariè ponitur: consequens est, ut explicemus quasdam affectiones, quæ conveniunt ipsis, in quantum duæ inter se considerantur. Hæ affectiones sunt Oppositio, Æquipollentia & Conversio.

2. Oppositio autem alia est terminorum simplicium, quæ partim ad Metaphysicam pertinet, partim ab *Arist.* in *Postpradic.* explicatur: alia est integrarum propositionum, quæ hîc consideratur.

3. Quæ oppositio ut verè constituatur, requiruntur I. duæ propositiones, quia nihil sibi ipsi contrarium est. II. Oportet illas propositiones constare ex iisdem terminis. Quod requisitum violatur 1. quando expressè sunt plures termini; ut, Homo est animal, Homo non est bestia. 2. quando aliquis terminus est ambiguus; ut, Omnis canis est bestia. Nullus canis est bestia. In priori enim canis accipitur pro animali domestico, in posteriori pro sidere cœlesti. 3. quando nec expressè multi sunt termini, nec adest vocabulum æquivocum, sed quando subjecta universalia sumuntur pro aliis atque aliis suppositis, ut: Quidam homo est doctus, Quidam homo non est doctus: alios enim homines in priori, alios

alios in posteriori enunciatione possum intelligere. 4. quando oppositio non fit secundùm idem & ad idem, id est, secundùm eandem partem, secundùm eundem respectum, secundùm idem tempus & eundem locum: Ut hæ non sunt verè oppositæ: Æthiops est albus, Æthiops non est albus: quia utrumque verum est secundùm diversas partes. Item hæ: Petrus scribit: Petrus non scribit: quia secundùm diversum tempus utrumque potest esse verum. Ut igitur fit oppositio vera, & termini sint verè iidem, requiritur, ut oppositio fiat secundùm idem, ad idem, eodem tempore & eodem loco. III. Oportet illos terminos eodem ordine esse positos, h. e. ille, qui in priori propositione est subjectum, debet etiam esse subjectum in posteriori: & qui est prædicatum in illa, debet etiam esse prædicatum in hac. Unde hæc: Arbor est planta, Planta non est arbor, non est vera oppositio, quia arbor, quæ in illa est subjectum, in hac prædicatur, & planta, quæ in illa prædicatur, in hac subjicitur. IV. Necesse est, ut una propositio sit affirmata, altera negata. Duæ enim affirmatæ, vel duæ negatæ non faciunt oppositionem. Has omnes conditiones complectitur illa definitio, quam asserunt ex *Albert. 2. act. de oppos. c. 1. Conim.* Oppositio est repugnantia duarum enunciationum eodem subjecto prædicatóque constantium secundùm affirmationem & negationem. Vide *Coll. Conimb. 1. de Interp. c. 7. q. 1. art. 1. Doct. Colon. 1b. Reg. l. 2. disp. Leg. probl. 5. Ind. Clichtov. in Dial. p. 93. & seq. Matth. Flac. l. 4. Log. Gener. c. 6.*

4. Scholastici definiunt Oppositionem, quòd sit duarum propositionum utroque termino participantium aut in quantitate tantùm, aut qualitate tantùm, aut in utraque simul repugnantia. Sed hæc definitio in tribus peccat: primò; quòd non requirit eundem inter eosdem terminos ordinem: secundò; quia propositiones, quæ tantùm repugnantiam habent in quantitate, ut subalternæ: Omnis homo est

animal

animal: Quidam homo eſt animal, non ſunt oppoſitæ 1. quia requiritur ad oppoſitionem, ut propoſitionum altera ſit negativa. 2. ut non poſſint ſimul eſſe veræ, quamvis ſimul poſſint eſſe falſæ: tertiò; quia illa, quæ conveniunt ſpeciei, quatenus talis, ponit in definitione generis. Quòd enim pugna ſit in oppoſitis etiam ratione quantitatis non convenit oppoſitioni in ſua generalitate, ſed convenit ipſius alicui ſpeciei, nim. contradictoriæ. Vide *Hoſpin. de controv. Dial. cap. 15.*

5. Plerique Logici ſpecies oppoſitionis faciunt tres: Contradictoriam ſc. Contrariam, & Subalternam, ut *Doct. Colon. & Coll. Conimb. cit. l. Zab. in Tab. in. l. de Interp. Titel. l. 3. c. 13. Reg. l. cit. Fonſ. l. 3. Inſt. c. 6.*

6. *Crellio* autem *part. com. l. 2. c. 4.* propoſitiones quinque modis opponuntur, contrariè, ſubcontrariè, contradictoriè, indefinitè & ſingulariter, cum quo nos ſentimus, & horum quinque membrorum ſufficientiam ſic tradimus.

7. Propoſitiones quarum una affirmatur, altera negatur, vel ſunt ambæ ſingulares, vel non ſingulares. Si illud, ſit oppoſitio ſingularis. Si hoc, vel habent definitam quantitatem, vel non. Si illud, vel univerſalis opponitur univerſali, & naſcitur oppoſitio contraria, vel particularis opponitur particulari, & vocatur oppoſitio ſubalterna, vel univerſalis particulari & eſt oppoſitio contradictoria. Si hoc, eſt oppoſitio indefinita.

8. Quomodo tamen *Arniſ.* hanc noſtram ſententiam cum priori conciliare velit, ut tria ſcilicet tantùm veræ oppoſitionis genera ſtatuantur, vide ipſum in *Not. in Log. Crell. part. comm. l. 2. c. 4. lit. β.*

9. Eſt autem contradictio, quando univerſali affirmativæ opponitur particularis negativa, vel univerſali negativæ particularis affirmativa: ut, Omnis homo eſt animal. Non omnis homo eſt animal. Nullus homo eſt doctus. Quidam homo eſt doctus.

10. Ubi

10. Ubi observa, vocabulum Contradictionis tripliciter usurpari; latè, strictè & strictissimè. Latè sumitur pro omni oppositione, & sic definit *Arist. l. 1. de Interp. c. 4.* Ἀντίφασιν, quod sit κατάφασις καὶ ἀπόφασις ἀντικειμένη, h. e. affirmatio & negatio oppositæ. Strictè sumitur pro illis enunciationibus, quarum una simpliciter negat alteram, & quæ ambæ nec simul veræ, nec simul falsæ esse possunt, & sic *Arist. l. cit. c. 5.* comprehendit sub contradictionis duas indefinitas oppositas, & duas singulares; imò, ut ego existimo, etiam subcontrariæ sub illis continentur. Strictissimè a. sumitur, quando illa dicitur contradictio, cùm universali affirmativæ particularis negativa, & universali negativæ particularis affirmativa opponitur.

11. Ex quibus facilè patet; quòd si vocabulum contradictionis secundo hoc modo accipiatur, tantùm duæ sint oppositarum propositionum species, nim. contradictoria & contraria, non quidem univocæ, sed analogæ. Contradictio principalis est oppositio, quia est immediata, quam contraria semper quodammodo includit. Contradictoria n. una simpliciter negat, quod altera affirmârat. Contraria addit remotionem aliam, quæ est in extrema distans. Quemadmodum non album negat simpliciter albedinem, nigrum a. super illam negationem adhuc aliquid addit. Vide fusè *Reg. & Arnisæ. l. cit. & Tol. 1. Perih. c. 5.*

12. Oppositio contraria est, quando duæ universales sibi opponuntur, ut: Omnis arbor crescit. Nulla arbor crescit.

13. Subcontraria est, quando duæ particulares, altera affirmata, altera negata inter se pugnant, ut: Quidam homo est animal. Quidam homo non est animal. Subcontraria a. hæc quidam oppositæ esse negant, quia simul veræ esse possint, ut: Quidam homo est probus. Quidam homo non est probus: cùm tamen impossibile sit, duo opposita simul posse esse vera, licèt simul possint esse falsa.

14. Sed

14. Sed Reſpond. Quando proferuntur duæ propoſitiones particulares, quarum una negatur, altera affirmatur ſecundùm eoſdem terminos, tunc vel eadem individua per ſubjectum particulariter acceptum in utraque propoſitione intelliguntur, vel diverſa & alia. Si illud, verè ſunt oppoſitæ, & nequeunt ſimul eſſe veræ, quia impoſſibile eſt quoſdam homines eſſe probos, & eoſdem quoſdam non eſſe probos. Si hoc, non ſunt verè oppoſitæ, nec eas *Arift. 1. per. c. 5.* vocat oppoſitas, ſed oppoſitas contrariis, non a. inter ſe, ut bene advertit *Tol.* quin potiùs hoc modo eas κατ' ἄλλο λέγειν h. e. nomine tantùm oppoſitas eſſe dicit *2. priо. c. 15.* & ſic etiam intelligendum eſt, quando dicit *cit. 1. perih. c. 15.* duas particulares, quarum una eſt affirmata altera negata poſſe ἐπὶ τῶν ἀορίστων συναληθεύειν.

15. Oppoſitio indefinita eſt inter duas definitas, ut: Leo eſt beſtia. Leo non eſt beſtia. Licèt enim duæ indefinitæ oppoſitæ in materia neceſſaria referantur ad contrarias, in materia contingenti ad ſubcontrarias: tamen ſi ratione naturæ ſuæ indeterminatæ & ſine reſpectu ad certam materiam conſiderentur, ad neutram poſitarum oppoſitionum ſpeciem referri poſſe patet.

16. Oppoſitio ſingularis eſt inter duas ſingulares appoſitas, ut, Petrus eſt Apoſtolus, Petrus non eſt Apoſtolus.

17. Scholaſtici autem præter enumeratas has propoſitionum oppoſitiones addunt Subalternas. Tales ſunt univerſalis affirmans, & particularis affirmans, univerſalis negans, & particularis negans, ut: Omnis homo eſt animal. Quidam homo eſt animal. Sed has non eſſe verè oppoſitas diximus jam *theſi 4.*

18. Cæterùm ad ea, quæ hactenus diximus, ultimò animadverte tres regulas. I. In contradictoriis, in ſingulariter, & ſubalternè oppoſitis ſemper dividitur verum à falſo. Impoſſibile enim utramque contradictoriam, vel utramque ſingularem, vel utramque ſubcontrariam ſimul eſſe veram vel falſam. II. Duæ contrariæ non poſſunt quidem eſſe ſimul veræ, poſſunt tamen

tamen simul esse falsæ, nim. in materia contingenti, ut: *Omnis in orbe locus Baiis prælucet amœnis: Nullus in orbe locus Baiis prælucet amœnis.* III. Duæ indefinitè oppositæ neque simul veræ sunt neque simul falsæ, neque altera vera, altera falsa. Seu: in Indefinitè oppositis neque veritas neque falsitas est, quia abstrahunt à veritate & falsitate, quod vide suprà *disp. 6.*

19. Æquipollentia est convenientia duarum propositionum in sensu, discrepantium verbis. An verò consecutio, quando sc. una propositio ex altera sequitur, eadem sit cum æquipollentia, & an utraque sit propositionis affectio, hîc disputare & exquirere angustia papyri non patitur. Dicemus tantùm quædam de Æquipollentia propositionum finitarum & infinitarum, sicut suprà *disp. 6.* promisimus. Regulas, quæ generaliter ad Æquipollentiam explicandam faciunt, vide apud *Fons. l. 3. Inst. c. 7. Reg. l. cit.*

20. Est autem propositio Finita, cujus tam subjectum quàm prædicatum sunt finita, ut, Alexander est rex. Infinita est, cujus aliquis terminus est infinitus. Quid autem sit terminus finitus & infinitus, facilè videbis *ex disp. 1.* nim. Ille est finitus, qui negationem expressè non habet additam, ut homo, arbor. Infinitus est, qui constat ex finito & particula negativa addita, ut: Non homo, non arbor.

21. Porrò infinita triplex est, vel ex parte subjecti tantùm, ut, Non lapis est animal: vel ex parte prædicati tantùm, ut, Lapis est non animal: vel ex parte subjecti & prædicati simul, ut: Non lapis est non animal.

22. Infinitæ propositiones ex parte prædicati habent consequentiam atque æquipollentiam cum finitis. Etenim affirmata finita & negata infinita æquipollent, & hæc sequitur ex illa, & illa ex hac, ut, Petrus est homo: Petrus non est non homo. Affirmata infinita & negata finita æquipollent, & hæc sequitur ex illa, & illa ex hac, ut, Socrates est non sapiens: Socrates non est sapiens. Duæ verò affirmatæ,

una

una finita, altera infinita non æquipollent, sicut nec duæ negatæ, una finita, altera infinita, neque una ex altera infertur, id quod *Arist.* expressè significavit *l. 2. de Interp. c. 1.*

23. Ad hæc autem, quæ diximus, notandæ sunt aliquot cautiones. Prima est. Ex particulari non infertur universalis. Non enim sequitur: Quidam homo non est doctus. E. omnis homo est non doctus. Secunda: Totum prædicatum oportet esse infinitum. Nam si tantùm ejus aliqua pars infinitetur, non necessaria est consequentia. Sic non sequitur: Homo ante lapsum potuit non peccare. Ergo non potuit peccare: quia peccare quod in priori propositione infinitum est redditum, non est integrum prædicatum, sed posse peccare. Sic non sequitur: Francofurti venditur non vinum. Ergo non venditur vinum. Tertia: Quando prædicatum negativæ finitæ est conjunctum ad affirmativam infinitam non est perpetua consequentia: Non enim sequitur: Socrates non est homo volans. Ergò Socrates est non homo volans: quia hujus secundæ sensus est, Socratem esse animal volatile.

24. Conversio *definiente Crellio part. comm. l. 2. c. 4.* est transmutatio subjecti in prædicatum, & prædicati in subjectum ea, quâ una ex altera ritè & verè sequitur, ut utraque sit vera.

25. Porrò conversio triplex est, Simplex, Per accidens & per Contrapositionem. Simplex est, quando manet eadem quantitas & qualitas, & sic convertuntur universalis negativa & particularis affirmativa, ut: Nullus homo est lapis. Ergo Nullus lapis est homo. Quidam homo est animal. Ergo quoddam animal est homo.

26. Conversio per accidens est, quando manet eadem qualitas quantitate mutatâ; sic convertitur universalis in particularem, sive ambæ affirmativæ sint, sive negativæ. Cur autem illa conversio vocetur simplex, hæc per accidens vide apud *Tit. l. 3. c. 18.*

27. Conversio per contrapositionem est, quando manet

manet quantitas, sed mutatur qualitas, & sic convertitur universalis affirmativa in universalem negativam, ut: omnis homo est rationalis Ergo quod non est rationale, non est homo. Quomodo convertantur propositiones singulares, videris apud *Coll. Conim. 1. Prior. c. 2. q. 1. art. 4.*

28. Et hæc de Oppositione, Æquipollentia & Conversione propositionum in genere dicta sint, quomodo hæc specialiter determinentur in Modalibus & aliis propositionum generibus pete ex *Arist. Fons. Flac. & alii.*

SOLI DEO GLORIA.

INDEX DISPUTATIONUM.

Disp. I. De Nomine.

II. De Verbo.

III. De Propositione.

IV. De Propositionis Affirmatione & Negatione, iisque Simplicitate.

V. De Partibus Propositionis Simplicis.

VI. De Propositione Universali, Particulari, Indefinita & Singulari.

VII. De Modalibus.

VIII. De Propositionibus Compositis.

IX. De Propositione Necessaria & Contingenti.

X. De tribus Necessariarum Propositionum gradibus.

XI. Contra tres aureas Ramistarum leges.

XII. De Oppositione, Æquipollentia & Conversione Propositionum.